6

77 Tom IV

Collegii Comen. Soc. Jesu cat. inscr.

AGONISTICVM SPIRITVALE,

In gratiam

DVORVM PRÆDICANTIVM, HAILBRVNNERI NEOBVRGICI, ET ZEÆMANNI LAVINGANI; SOCERI AC generi; ex variis Auctoribus concinnatum.

A

IACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

AD

REVERENDVM ADMODVM ET NOBILEM D. D. ANTONIVM VELSERVM CATHEDRALIS Ecclesiæ Frisingensis, &c. Canonicum.

I. CORINTH. IX.

Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.



Cum gratia & priuilegio Cæsar. Maiest.

INGOLSTADII,

EX TYPOGRAPHEO ADAMI SARTORII.

ANNO DOMINI M. DC. IX.

AGONISTICVM SPIRITVALE,

In gratiam

DVORVM PRÆDICANTIVM, HAILBRVNNERI NEOBVRGICI, ET ZEÆMANNI LAVINGANI; SOCERI AC generi; ex variis Auctoribus concinnatum.

A

JACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

AD

REVERENDVM ADMODVM ET NOBILEM D. D. ANTONIVM VELSERVM CATHEDRALIS Ecclesiæ Frisingensis, &c. Canonicum.

I. CORINTH. IX.

Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

Cum gratia & priuilegio Cæsar. Maiest.

INGOLSTADII,

EX TYPOGRAPHEO ADAMI SARTORII.

ANNO DOMINI M. DC. IX.

ADMODVM REVERENDO, NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO, ANTONIO VELSERO SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, CATHEDRALIS Ecclesiæ Frisingensis Canonico, Præposito Spaltensi, & Isnensi, &c.

IACOBVS GRETSERVS S. D.

LVTHERI ad suos monitum est; *admodum Reuerende, & Magnifice* DOMINE VELSERE: *ne cures, licet hic vel ille ex Sanctorum numero austeram vitam vixerit, à carnium esu abstinuerit; vestes cilicinas gestauerit: ne cures, ne moreris; sed dicito: quamuis isti ordinum auctores & architecti, miracula patrassent, mortuos excitassent, & præ nimio pietatis ardore ieiuniis, & corporis diuerberatione sese peremissent; nihilominus manum* Luth. in 1. cap. Euang. S. Ioan. Tom. 2. Nou. operum fol. 418. b

non verterim. Ieiunium tuum, oratio tua, flagellatio tua, nihil emolumenti mihi parit.

Hanc parentis sui doctrinam Prædicantes in intimas medullas demisisse, nunquam magis expertus sum, quàm ab illo tempore, quo varios libros de Disciplinis scripsi, & euulgaui: plurima enim sanctitate & innocentiâ præstantissimorum hominum, qui seuerissimas viuendi leges sibi fixêre; & corpora sua ciliciis, inedia, Disciplinis & chameuniis, mirum in modum attriuêre, cum produxissem exempla; non magis moti sunt, quàm si ex Phædro, Æsopo, Apuleio, Luciano, & id genus aliis, fabellulas ad oblectationem animi confictas, in medium adduxissem: Vel, ne mentiar, moti sunt; sed vt

commotis excita sacris
Thyias, vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron:

Saltem

Saltem id fecissent, quod Lutherus faciendum his verbis docet. *Si alij asperam illam vitæ rationē, quam Sancti inierunt, laudibus extollant; eò quòd humi cubuerint, ciliciis lumbos cinxerint, noctes diesq; diuino obsequio impenderint, carnem non gustarint, corpus proprium castigarint, & acriter afflixerint: non vitupero; potius laudo. At si inde concludas; huiusmodi rigidum vitæ institutum nobis esse amplectendum; vt beatitudinem consequamur, aures tibi occludam. Probo & commendo austeram S. Joannis vitam, pilos camelorum, potum aquæ, esum locustarum suspicio; sed nunquam concessero, hanc esse ad cœlum viam*; nec, vt video, obsequetur Lutherus Christo hortanti, vt *contendamus intrare per angustam portam.* Nec fidem habebit dicenti: *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.* Est igitur vera ad cælum via angusta, & arcta, ipso Redemptore nostro te-

Luth. loc. cit.

Luc. 13.

Matth. 7.

ſte. Sed quæ nam eſt anguſtior, & arctior? Illáne, quam Lutherus ad mortem vſque calcauit, & ſuis calcandam monſtrauit? An illa, quam S. Ioannes, & poſteris temporibus, alij non pauci tenuerunt, & feliciter decurrerunt? Certè, qui viam Lutheri arctiorem, & anguſtiorem facit, quàm viam S. Ioannis Baptiſtæ, aut S. Franciſci, aut S. Benedicti, aut S. Dominici Loricati; & ſimilium; viam verò horum ſpatioſiorem, latiorem, & laxiorem, quàm Lutheri, & Lutheranorum; eius maxillæ *frano*, & *camo* conſtringi & coërceri debent: quandoquidem intellectu caret.

Ad Prædicantes regredior, qui tantam reprehenſionem non mererentur, ſi Sanctos, qui arctè, & contentè ſe, & carnem ſuam habuerunt; ſaltem laudarent, commendarent, & approbarent, ſi imitari piget vel non lubet, vt ſe feciſſe ſcribit Lutherus; (quàm verè, teſtatum facit, vt alia innumera ſileam, Præfatio eius in *Franciſcanorum*, vt ipſe vocat, *Alcoranum*; vbi S. Benedi-

nedi-

nedictum, & S. Franciscum, conuiciis impudentissimis insectatur; quòd ad coniugium non aduolarint; sed carnem *cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerint*; ille quidem præacutis vepribus, iste, gelu & niue.) Nunc cum non modò nihil horum faciant, sed & insuper sanctissimos & miraculis illustrissimos homines, infinitis maledictis proscindant; Et omnes itidem ab huiusmodi pœnitentiæ operibus, vt ab *Ethnicis, Idololatricis, & Diabolicis piaculis* dehortentur, satis produnt, quem spiritum pectore conclusum circumferant; potissimum Heilbrunnerus & Zeæmannus, socer & gener, & Augustanus Volcius, cum quibus mihi præcipuè de Disciplinis, aliisque corporis macerationibus certamen est: ad quorum aures nulla oratio insuauior & iniucundior accidit, quàm quæ de hoc argumento instituitur.

Tom. 11. VVitberg. Germ. fol. 370. 371.

Nondum tamen spem omnem de Prædicantibus ad meliorem mentem reducēdis posui, postquam iam ipsi Prædicantes in

in hanc Disciplinarum palæstram descendere cœperunt. Audi enim, mi VELSERE, rem miram, imò mirificissimam; *Prædicantes Disciplinas faciunt.* Vereor, ne mihi *magna voce* occinas illud, quod olim Festus Paulo Apostolo: *Insanis*, Gretsere, *multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Non insanio, optime* VELSERE, *sed veritatis & sobrietatis verba loquor.* Prædicantes disciplinas faciunt. Quid desideras amplius? Noui locum, vbi mirum hoc prorsus admirabile contigit. Noui oppidum, in quo nouus iste *flagrio* quinti Euangelij Præconem agit. Noui huius tam inauditi & insperati facti testes, viros partim religionis professione, partim ciuili dignitate spectatissimos; quorum nomina palam edere, nil necesse. Scies tu, quandocunque voles. Res ita habet.

Act. 26.

Anno superiore venit Prædicans, duobus adolescentibus comitatus ad Monasterium quoddam, rogitans; vt sibi, tanquam hospiti, visendi & lustrandi copia fieret.

Haud

Haud grauatè impetratum, quod petebatur: admissus est, & quod maius, etiam sine ductore, & indice omnia obire, & contemplari permissus. Principio, bonis auibus, hortum ingreditur: Quo vbi pedem intulit, par monedularum à nido cicuratum, & inibi educatum, conspicit; adiicit oculum, ac per hortum inambulans, sæpius respectat; monedulas, præsertim alteram, lepidiorem, vt arbitrabatur, etiam atque etiam considerat; tandemque propior factus, ita familiarem esse comperit, vt vel manu prehendi posset. Inuadit illum cupiditas; ille monedulam, quam ita cautè solliciteque in saccum caligarum abstrusit, vt neque ab euolatione, neque à suffocatione periculum immineret: alis enim pedibusque strophiolo sudatorio præpeditis, præter caput alitis, ex sacco nihil eminere passus est; quod deinde, ne conspicuum esset, pallij obtentu diligenter texit.

Erat eodem tempore in horto circumforaneus quidam institor, patribus loci

familiariter notus; & apud illos, sacræ confessionis & communionis gratia, interdum commorari aliquandiu consuetus, qui tum forte fortuna malis herbis euellendis insistebat: Et omnia ab exordio viderat. Hic igitur Prædicantis impudentiam, & præcepti diuini *de non furando* obliuionem detestatus, Ianitori domus furtum ex ordine pandit: qui sine mora, ostio prius studiosè obserato, ad hortum se confert; Et quomodo placeat, ex Prædicante humaniter, vt mos est, percontatur. Post aliqua vltro citroque commutata verba; quærit Ianitor; cur manum semper in sacco gerat. Prædicans pudore suffusus tergiuersari, & omnia alia, excepto eo, quod verum, & ad rem erat, dicere occœpit: tandem auiculas sacco conclusas tenere se professus est. Ianitor videre cupit. Abnuit *Seminiuerbius*; sed restitanti pallium submouet; monedulamque ex sacco prospectantem intuetur; Tum ad Prædicantem: Qua fronte, Minister Euangelij cum esse velis, monedulam no-

noſtram furto nobis ſubtrahere, eamque nullo vendente emere, & ſine pretio tuam facere tentaſti? Quid ſi hoc ad Dominos tuos deferam? Quid ſi ad alios? Quid te futurum erit? An non omnibus ludibrium debebis? Prædicans manifeſti furti reus initio culpam deprecari, poſtea pecuniam offerre, vt impunitatem, & ſilentium ſibi mercaretur. at Ianitor, repudiatis nũmis, reſpondit, alia pœna hoc commiſſum expiari debere. Tum rabula, omnem euadendi viam præcluſam conſpicatus, ſimulque infamiæ & ignominiæ maculam reueritus; iube, inquiebat, me facere quidquid vis; promptum atque obſequentem habebis, dummodo factum hoc celes, neque meum nomen apud alios proſtituas. Ianitor vt paratum ad omnia Præconem vidit, è veſtigio ad cubiculum ſequi præcepit. Quo cum peruentum eſſet, mandat, vt thoracem exuat, dorſum denudet, & ad verbera expediat. Cum imperata feciſſet offertur Diſciplina ſeu flagellum; Ille verberan-

di; Ianitor Psalmi quinquagesimi, cuius initium; *Miserere mei Deus*, &c. recitandi principium fecit. Sed cum Prædicans, tanquam inexpertus in hac lucta, superiores dorsi partes tantummodo, neque admodum inclementer, pulsaret; timeretque, ne fortasse spinam dorsi confringeret, si validiores plagas sibi incuteret; monitus est, dextera magis virili vtendum, ictusque ita vibrandos, & librandos esse; vt nunquam aërem, dorsum semper percutiant: supernè quidem cum ducuntur; infernè, cum reducuntur. Obedit ille. Pergitur ergò iterum in flagellatione, & psalmodia. Cum ad medium Psalmi processissent; Prædicans, acri verborum dolore vstus, humeros contrahere; scapulas modò sursum tollere, modò deorsum torquere, frontemque corrugare, &, vt quàm primum vsq; ad *vitulos* proueheretur ardētissimè exoptare cœpit. Ad quem Religiosus frater: Sufficiat ergò. Indue te; *vade in pace*; & iam amplius noli furari; ne quis deterior flagellator dorso

tuo

tuo obtingat. Lætus hac denũciatione Prædicans; ad fores cœnobij properat, & quà data porta, ruit; tam citò, vt opinor, non reuerſurus, tametſi non procul inde abeſt; & memoriam huius diei quotannis ſolenniter celebraturus; non ſine epulo, cuius primarium ferculum ex ſolis monedulis conſtet: euocatis & inuitatis omnibus Monaſterij illius indigenis, potiſſimum Ianitore, ſub cuius diſciplina, diſciplinam facere nõ ſolùm didicit; ſed & probè fecit.

I nunc, doctiſſime VELSERE, & Prædicantes accuſa; quaſi Diſciplinas neglectui, & deſpicatui habeant. En, quam lubens volensque Stentor iſte corium ſuum flagellis cõſcribillauit: nec dubito, alios eiuſdem claſſis clamatores, inprimis Heilbrunnerum, & Zeemannum, hanc diſciplinam, alacriter, vbi occaſio dabitur, imitaturos; quia hactenus à Diſciplinis ea ſolùm cauſſa abhorruiſſe videntur, quòd nullius Prædicantis exemplum anteceſſiſſet. Nunc, quod Reipublicæ bene eueniat, habemus

Prædicantem, qui disciplinam subiit. Quid superest, nisi imitatio? Quid superest, nisi vt socer atque gener, buccis crepantibus cantent? *Mihi turpe relinqui est: occupet extremum scabies.*

Interea dum hæc mens Prædicantibus iniecta fuerit; vetus institutum meum seruabo; eorumque furiosa in Disciplinas maledicta, & conuicia refutabo; prout in hoc itidem spiritali *Agonistico* aduersus Prçconem Lavvinganum, Heilbrunneri succidaneum, & generum, feci: quod pridem in publicum exisset, si mihi & typographo ab aliis negotiis otium fuisset. Nunc cum tandem foras procedit; promisso meo soluor; quo iam dudum hunc tibi librum despondi, testem futurum nostræ, si pateris, amicitiæ, verè literariæ, & meæ in te, & in amplissimam VELSERORVM familiam obseruantiæ.

Bona item spe foueor, eo etiam nomine tibi gratum fore; quòd Apologiam contineat PRAEDICANTIS VAPVLANTIS, quem

ante

ante biennium admodũ Reuerendo & nobili, tunc Canonico Herbipolensi & Bambergensi, Decanoque Comburgensi; Nunc autem, singulari Dei nutu; Reuerendissimo & Illustrissimo Principi ac Pręsuli Bambergensi, Domino IOANNI GODEFRIDO AB ASCHAVSEN, dedicaueram. Memini adhuc, cum nuper tecum Frisingæ versarer, eo ipso die, qui auspicatissimam hanc electionem aspexit; te mihi, aliis honoratissimis viris præsentibus & audientibus; ex imo pectore, &, vt prisci loquebantur, *corditus* dicere: Vtinam Deus in cathedra S. Othonis eximium Dominũ IOANNEM GODEFRIDVM AB ASCHAVSEN collocet. Non dispar erat votum meum, & aliorum, qui aderant. En desiderio nostro Deus annuit. Illud nunc reliquum relinquitur, vt præstantissimo PRINCIPI gratiam vberem, diuturnam vitam, & gubernationem tranquillam, tot inter tempestates, à Deo precemur, vt quod de grege Domini *perierat; requirat: quod abiectum reducat. Quod confractum fuerat alliget.* Ezech. 34.

get? Quod infirmum fuerat, consolidet. Et quod pingue ac forte, custodiat.

Bene ac feliciter vale, optime & eruditissime VELSERE, & si quid in locupletissima tua Bibliotheca repereris, quod studiis meis vsui esse queat; vt antehac, sic & in posterum candidus imperti. Ingolstadij Kalendis Septembribus. Anno reparatæ salutis M. DC. IX.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

A*MICE LECTOR, rogatu illustrium virorum scripsi & publicaui triennium abhinc tres libellos de Disciplinis, seu corporis per verbera castigatione. Non diu pòst, cum liber meus de* Cruce spiritali *seorsim excuderetur Coloniæ; addidi de iisdem Disciplinis* Spicilegium. *Eodem tempore prodiit, sed Germanicè, cum sua* Flagellatione Iesuitica *aduersus libros de Disciplinis Prædicans Neoburgicus, quem mox, edito* Prædicante Vapulante, *pro meritis accepi. Hunc subsecutus est cum duabus concionibus itidem Germanicis, alius ex Lutheri Foro seminiuerbius Volcius; quem* Virgidemia *donaui.*

Interea exspectabam, quid Vapulans *meus Palatinus moliretur; & num denuò vapulare cuperet. Verùm dorsi sui & scapularum amantior fuit, quàm vt secundò huic arenæ se committeret, pugnisq; saturatus absederet. Itaq; Generum suum, Zeamannum Lauinganum, nouitium Prædicantem, ad mendacia promptum & expeditum, suam in vicem substituit, vt quia valentiores humeros habet, periculum faceret, num meis ictibus ferendis satis idoneus ac robustus esset. Suscepit ille delatam sibi à socero prouinciam, & triplici Disputatione armatus in medium progressus est; parum memor illius, quod sapienter monet Ecclesiasticus:* Si est tibi intellectus, responde *Eccles. 4.* proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris

 piaris

piaris in verbo indisciplinato, & confundaris: *nam si hanc sententiam penitius introspexisset, & pensiculatius perpendisset; forsan socero id, quod intriuerat, exedundum reliquisset; nec supra quinque centurias* verborum indisciplinatorum *effutiuisset: nam quot Theses suis in chartis posuit, tot verba* indisciplinata, *eaq; non simplicia, sed valde compacta & aggesta, protulit; non tantum propterea, quòd omnia aduersus* Disciplinas *tendunt; sed quia omnia infinitis mendaciis, contumeliis, calumniis & conuiciis contra omnem* disciplinæ & *modestiæ honestatem horrent ac rigent, addita etiam hac fraude & impostura, (in qua socerũ suum ducem secutus est) vt quæ in opusculo de* Disciplinis, *& in Apologetico certa methodo differueram, quò omnia Disputationis membra vniter apta cohærerent, ipse miserandum in modum dissiparet ac disiiceret, & supera, imis; ima mediis; prima, vltimis; vltima primis misceret, & omnia in chaos, prisco illo, de quo Poëta, longè rudius & indigestius, redigeret: & hoc, quo alio fine, quàm vt claris tenebras induceret; & veritatem in luce, à me collocatam, nebulis amethodiæ suæ obscuraret ac obnubilaret; & omnia à se mutuo distracta & discerpta, eò commodius pseudologiarum & lædoriarum suarum cœno oblinere & conspurcare posset,*

S. Athan. epist. ad Serap. Tomo 2.

Dicam cum S. Athanasio. Vehementer admiratus impudentiam hæreticorum, animaduerti, nihil æquè quadrare in istos; quàm quod præcipit Apostolus: *Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita; sciens, quod subuersus est huiusmodi & peccat, cum sit suo ipsius iudicio condemnatus.* Habet enim peruersam mentem, non vt *postquam audierit*, obtemperet, neq; interrogat, vt cum didicerit, resipiscat, sed propter eos, qui ab ipso seducti sunt, ne videlicet, si tacuerit, etiam ab illis condemnetur. Itaque sufficiebant ea quę prius dicta sunt, vt

istos, tot probationibus acceptis, compescerent; *sed verum est illud Sapientis*: Homo assuetus in verbis improperij (*qualis est quilibet Prædicans*) in omnibus diebus suis non erudietur. Cum dormiente loquitur, *inquit Ecclesiasticus*, qui enarrat stulto sapientiam, & in fine narrationis dicit: Quis est hic? *Vidisti, inquit Salomon*, hominem velocem ad loquendum? (*Vidisti Prædicantem velocem ad scribendum iis de rebus, quas non intelligit?*) Stultitia magis speranda est, quàm illius correptio, quia semper iurgia quærit malus. *Quocirca* vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem: *huiusmodi enim vitilitigator pro vno verbo semper dena reponit, & quidquid dicas, perpetuò inuenit, quod regerat & occinat, magna existimationis suæ iactura, quam silens non incurrisset; quia, vt Salomon ait*: Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua; intelligens.

Eccles. 23.
Prouerb. 29.
Eccles. 22.
Prouerb. 17.
Prouerb. 29.
Prouerb. 17.

Videor non iniuriâ vsurpare posse aduersus generum & socerum eius, aliosq́; meos aduersarios Prædicantes, qui me vndique nugacißimis suis gerris inuadunt, & mille criminationibus lancinant; illud, quod Lutherus præfatione in Articulos Schmalcaldicos non nisi contumeliosè & sycophanticè de suis Antagonistis, eorumq́; libris scriptum reliquit. Deberem quidem ad omnia respondere, dum adhuc viuo, sed, quæso, quomodo omnia diaboli ora obstruere solus possum? præsertim eorum, (vtpote venenatorum omnium) qui nec audire, nec attendere volunt, quid scribamus: sed in eo toti sunt, vt verba nostra etiam in minutissimis literis scelerate peruertant, & deprauent. His ergo diabolus respondeat, & tandem ira Dei, quemadmodum merentur. Sæpe recordor boni Gersonis, dubitantis, num quid boni publicè scribendum, & proferen-

dum sit. Si scriptio omittitur, multæ animæ negligũtur, quæ liberari potuissent. Si verò illa præstatur, statim diabolus præsto est cum linguis pestiferis, & calumniarum plenis, quæ omnia corrumpunt, & veneno inficiunt, vt vtilitas scriptorum impediatur. *Miror hoc dictum non esse à Georgio VValtero relatum inter Lutheri vaticinia; cum prædictionem luculentissimam, eius, quod Prædicantes, Lutheri posteritas, facturi erant, contineat, palamq́; omnibus exhibeat.*

Vix enim quidquam à Catholicis in lucem profertur; quod muscæ istæ è vestigio non contaminent ac defœdent. Cum de Disciplinis scribere ingrederer, nunquam futurum credebam, fore, vt vllus Prædicantium contra mutiret vel hisceret, quin potius arbitrabar, eos Papistis *pro sua in illos charitate, gratulaturos, & calcar addituros, vt pellem suam verberibus egregiè mactarent ac conciderent, idq́; non tantum sacratioribus Quadragesimæ diebus; sed & totius anni decursu. At opinione mea falsus sum: nam, vt initio dicebam, derepente non vnus, sed plures proruperant, & quasi iam scapularum suarum indolentiam & incolumitatem periclitari viderent, in Disciplinas & opuscula mea bacchari & detonare institerunt: magna animi impotentia & impudentia vociferantes.* Durus est hic *de Disciplinis* sermo, & quis potest eum audire? *Memorabilis est illa Ecclesiastici gnome.* Verbum sapiens quodcunque audierit scius, laudabit & adiiciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum. *Si hoc de vlla disputatione aliquid diuini spiritus spirãte, verum est; de hac certè, quæ Disciplinas tangit, maximè verum est; Quid enim magis displicet Prædicãtibus quàm* verbum *disciplinæ? Quid magis non in dorsum, sed post dorsum suum proiiciunt, quàm verbum Disciplinæ? Quæ alia de caussa, nisi quia sunt abdominis mancipia?* Cor fatui quasi

Ecclesi. 22.

vas confractum, *ait idem Ecclesiasticus*, & omnem Sapientiam non tenebit: *Et omnium minimè hanc de Disciplinis: quia* tanquam domus exterminata, sic fatuo, *hoc est, Prædicanti, est hæc* Sapientia *de corporis castigatione*, & scientia insensati (*Zeemanni & similium*) verba inenarrabilia, *quæ sanè enarrari, hoc est, proferri non deberent, quia nil aliud sunt, quàm scommata, ψεύσματα, maledicta, probra.* Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre, *Ecclesiastico teste*, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium: *qua tergemina laude socer atq; gener inprimis clarent.*

Dicat quis: Si ita comparati sunt Prædicantes, cur ergo illos missos non facis? Cur in illos arma moues? Cur abigis? Cur, quà potes, contundis & confundis? Ideo, quia alterum habenda est ratio, ne à lupis istis deuorentur. An propterea lupo nil molestiæ inferendum est, quia lupinam naturam nunquam exuit; sed perpetim id, quod est, manet? Aliud suadet ouilis amor: aliud iubet. Indesinenter insequendus & insectandus est lupus, & quoad licet à caulis arcendus, vt salus & incolumitas ouibus constet; Vlciscendæ sunt iniuriæ, quas blasphemiis & maledictis suis Deo hominibusq; Lycanthropi nostri irrogant. Seruus, ne dicam bonus, *verba sunt S. Hilarij*, sed certè tolerabilis contumeliam domini inuitus audit; & si liceat, vlciscitur: miles regis sui periculum etiam obiectu corporis sui & contemptu animæ depellit: canes ipsi ad custodiam domus habiti, quodam sensu naturæ intelligentes oblatrant, & vbi quædam eos aduentantium aura contigerit, totis ad suspicionē ipsam saltibus efferantur. *Et nos conticescemus, cum isti ex inferis emissi Stentores, clamoribus suis nō modò pleraq; fidei dogmata, sed & omnia Ecclesiæ instituta, præsertim illa, quæ ad cor-*

S. Hilar. in Fragmentis edit. Paris.

poris afflictationem spectant; explodunt, subsannant, & ut impia, Ethnica, Baalitica, Diabolica *traducant?*

Præfixit socer generi sui libro præfationem, & quidem Latinam, (indignatio enim fecit hunc Prædicantem loqui latinè,) latinitatis alioqui parcißimum, in qua duo mihi obiicit: inscitiam, & maledicentiam. *Ad ignorantiam quod attinet, habet Prædicans* reum confitentem. *Fateor me nihil scire. Fateor me indoctum & ignorantem. Fateor me ad Prædicanticam doctrinam neq; aspiraße, neq; perueniße. Quid amplius desiderant tam hic, quàm alij Prædicantes? Nec quidquam restat, quàm ut potestate sibi à Luthero commißa, absoluant me à mea ignorantia, vel absolutum ex verbo Dei pronuncient. Non puduit mortalium sapientißimum de se palam scribere*: Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, *&c.* *Et me misellum inscientiam meam publicè profiteri pudeat? Interim tamen miror, Prædicantes cum indocto* GRETSERO *usq; adeo occupari. Cur doctrinam suam non aliò transferunt, meq; cum ignorantia mea quiescere sinunt? Cur otium & bonas horas non melius insumunt?*

Prouerb.30.

Illud dißimulare nequeo, inscitia mea perquam ridiculum accidiße, quod meus Vapulans seu Verbero ex præfatione mea ad Responsum Hunnianum hanc Syllogismi laruam exstruit, ad eamq;, velut in compendium, quidquid illic dißero, redigit.

Omnes hæretici citant scripturas in libris & colloquiis:

Prædicantes citant scripturas in libris & colloquiis:

Ergo Prædicantes sunt Hæretici.

Et mox subiicit, Syllogismum hunc in Dialecticorum regulas

gulas impingere, quod in secunda figura ex meris affirmatiuis constet: ineptam proinde argumentationem esse, vanam ac vitiosam. *Desine, mi Prædicans, desine syllogismos fabricare. Insulsus & inficetus es syllogismorum faber: cum in Ratisbonensi Colloquio vix eos, quos tibi Hunnius dictauerat, ex grandi illo tuo codice recitare potueris. Si quis ex disceptatione mea syllogismum conficere velit, hunc vel assimilem conficiet.* Quicunque more & ingenio veterum hæreticorum scripturas citant, recitant, iactant, explicant, agglomerant; illi sunt Hæretici. Omnes Prædicantes, more & ingenio veterum hæreticorum scripturas citant, recitant, iactant, explicant, agglomerant. Ergo omnes Prædicantes sunt hæretici.

Vt sapit tibi hic syllogismus, ô Prædicans? In qua, quæso, Figura est? In quo Modo?

Tumido deinceps ore delitigat socer vt & gener; quòd paulò aliis titulis à me compellatus fuerit, quàm quos à suis Gnathonibus domi suæ audire solet. Aegrè insuper fert vterque, quod de Luthero aliter dixi & scripsi, quàm consueuerunt illi, qui in Academia VVitebergensi quotannis Lutheri encomia celebrant & decantant. Vsq; adeo delicati ac tenelli euadunt Prædicantes, vt si asperiore dicto feriantur, iniuriarũ aduersarios suos palam postulare incipiant; parum memores quid ipsi quotidie factitent; & quid Lutherus iam olim egerit; cuius, vt de Aërio scripsit S. Epiphanius, ἦν ὁ λόγος μανιώδης μᾶλλον, ἤπερ καταστάσεως ἀνθρωπίνης, oratio furiosior erat, quàm pro homine; *nec mirum, quia, vt de eodem Aërio testatur S. Epiphanius,* ἀέριον πνεῦμα ἔσχεν ἐξ ἀκαθαρσίας, ἀπὸ τῶν ἀερίων πνευμάτων τῆς πονηρίας, τὸ ἐν αὐτῷ οἰκῆσαν κατὰ τῆς ἐκκλησίας, aërium spiritum habuit ex immunditia, vnum ex aëriis spiritibus nequitiæ, qui in ipso contra Ecclesiam domicilium posuit. *Cui enim Lutheri lingua & cala-*

calamus vnquam pepercit? In quem contumeliosissimorum & probrosissimorum conuiciorum plaustra non exonerauit? Tolle ex Tomis Lutheri maledicta Diabolica in Papam, Episcopos, aliosq; Ecclesiastici & Monastici Ordinis Professores; in Imperatores, Reges, Principes, Proceres, Academias, Academicos, & in quoscunq; alios cuiuscunq; sortis ac conditionis homines, statim vastos illos Tomos mirum in modum decrescere & macrescere videbis.

Lutherum impigrè affectantur Prædicantes, quorum pleraq; opera paribus emblêmatis insigniuntur; quibus viuere propè nihil est aliud, quàm Papam *&* Papistas *maledictis configere. Et conquerentur Prædicantes, si cum, quod libet, dicunt; aliquando quod non libet, audiunt? præsertim cum gener atq; socer eo effrontis petulantia processerint; vt ipsos etiam sanctos cum Christo immortale æuum degentes, dirissimis maledictis & iniuriosissimis probris flagitiosissimè proscindant & incessant. Nullus quantumuis sanctimonia præcellentissimus, qui aut disciplinam fecit, aut cilicium gestauit, aut alia ratione carnem suam macerauit & afflixit, à spurco Zeamanni gutture & stylo tutus est. Omnes blenni sunt, fungi, stulti, fatui. Non excipitur S. Franciscus, non S. Dominicus, nō S. Benedictus; non S. Dominicus Loricatus, non B. Petrus Damianus, non discipuli eius; non Henricus Suso, non beatus Martyr Edmundus, non B. Thomas Cantuariensis, non S. Kunegundis, non S. Hildegundis, non alij aut aliæ, quarum exempla magno numero in opere de Disciplinis, in Vapulante, in Spicilegio & in Virgidemia produxi. Omnes Flagrio Lauinganus flagellat. Omnes Ferula sua ferit: Omnes scutica sua plectit. Et suum socerum vel obiter tangi, facinus indignissimum iudicabit? Ingenti certè, ô Præco, discrimine distant S. Franciscus & socer tuus; S. Kunegundis & socrus tua. Tanto scilicet, quanto Christus & Asmodæus, S. Michaël & Beelzebub.*

De

De lædoriis & pseudologiis Prædicanticis contra Iesuitas, mora mera fuerit dicere. Inanem operam Præco se cepisse arbitraretur, nisi conuitiorum in Iesuitas numerus, superaret numerum Gripicarum Thesium, qui est D X I V. cuius de Disciplinis Syntagmati iure hoc Elogium olim à S. Epiphanio Aërij nugis tributum adscribes. ὅλη μὲν ἀφροσύνης ἐςὶ τὸ πᾶν ἔμπλεων, τοῖς συνέσιν κεκτημένοις τοῦτο δῆλον. Totum opus Prædicantis insipientia & fatuitate plenum esse, liquet omnibus illis, qui intelligentia præditi sunt.

Ita porrò hanc quintam de Disciplinis scriptionem institui; vt nihil eorum repeterem, quæ iam in prioribus libris scripseram. Nouis exemplis & argumentis plerumque vsus sum: nec tam vanitatis & inaniloquentiæ Prædicanticæ, quàm vtilitatis communis rationem habui. Vtinam assecutus sim, quod me secutum noui; styloq́ meo ad Pœnitentiæ opera amanda & complectenda plures excitem ac inflammem; quia, vt verè dixit B. Leo, certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis.

S. Leo serm. 9. de Pass. Domini.

FACVLTAS R. P. VISITATORIS PER SVPERIOREM GERMANIAM.

Spirituale hoc Agonisticum à P. IACOBO GRETSERO contra Prædicantes Neoburgicum, & Lauinganum conscriptum, & à deputatis Theologis lectum, & probatum, Ego THEODORVS BVSAEVS Societatis IESV per Germaniam superiorem Visitator potestate mihi concessa ab admodum Reuerendo P. N. CLAVDIO AQVAVIVA eiusdem Societatis Præposito Generali, typis mandari permitto. In quorum fidem testimonium hoc manu mea subscriptum, & sigillo consueto communitum Auctori tradidi. Ratisbonæ, 7. Iulij M. DCIX.

THEODORVS BVSÆVS.

FACVLTAS PROCANCELLARII IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

Spirituale hoc Agonisticum ad Catholicorum vtilitatem & Prædicantium confusionem meritò in lucem exit.

PETRVS STEVARTIVS SS. Theologiæ Doctor, Professor, Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius, & hoc tempore RECTOR.

INDEX CAPITVM SPIRITVALIS AGONISTICI.

AGO-

AGONISTICI SPIRITVALIS

CAPVT PRIMVM.

De vocabulo Disciplinæ *aliisque huc pertinentibus.*

ET vocem & rem *Disciplinæ* abominantur Prędicātes. Barbara est illis *Disciplina*, pro instrumento verberationis, & longè adhuc barbarior actio seu passio inde secuta; Barbarę item locutiones, quas occasione Disciplinæ vsurpamus, vt *facere, dare, accipere, subire disciplinam*. At si audiant verbum *disciplinare* vel *disciplinari*, iam animo propemodum homines elegantissimi linquuntur, seminecesque corruunt. Sed de vocula disciplinæ iam alibi copiosè actum est; quibus nunc addimus, non deesse, qui arbitrentur, *Disciplinam* vsurpari à Tertulliano libro contra Valentinianos cap. 1. pro instrumento verberationis; cum dicit; Valentinianos *disciplina non terreri*, Item ab Ammiano Marcellino, apud quem Vadomarius Germanorum Rex ita ad Constantium Augustum de Iuliano Cæsare scribit. *Cæsar tuus disciplinam non habet*. Sed Rhenanus & Pamelius in prædictum Tertulliani locum disciplinæ nomine intelligunt *ordinationem & seueritatem castigatricem*, qua animaduertitur in eos, qui

aliquid, præter morem, legem & modum instituti agũt. Similis forsan est ratio loci huius apud S. Augustinum serm. 203. de Tempore. *Qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina*; tametsi locus iste clarior & illustrior est, quàm ille Tertulliani & Ammiani.

In legibus Wisigothorum lib. 6. capitulo cuidam hæc inscriptio præfigitur. *Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.* subditur edictum. *Quemcunq; discipulum in patrocinio, aut in seruitio constitutum, si à magistro, patrono, vel domino competenti, & indiscreta disciplina percussum fortasse mori de flagello contingat, cùm nihil ille, qui docet, aut corripit, in hunc inuidia, aut malitia habuerit; qui cecidit, homicidio nec infamari poterit, nec affligi. quia, dicente Dei sacra Scriptura: qui disciplinam abiicit, infelix erit.*

Vbi planum est, vocem *disciplina* pro ipsa verberatione accipi, si minus pro instrumẽto, vt & in hoc loco, quem scholiastes legis Salicę in tit. 6. profert. *Ex formula cautionis de infracturis. Si exinde negligens vel iactiuus apparuero, spondeo me contra vos, vt talem disciplinam supra dorsum meum facere iubeatis, quam super reliquos seruos vestros.*

Sed non nimis vrgebimus Disciplinæ vocabulum. Si nec eo, nec formulis inde sumptis. Prædicantibus vti collibitum est; habent alia, quæ vsurpent; vt flagellum, flagellationem, *μάστιγα, μαστίγωσιν, verbera, verberationem, flagra*; nec *verbera* exhorrescent, si vera est notatio ab Isidoro allata. *Verbera*, inquit, *dicta sunt, quia cum agitantur, aërem verberant.* Difficile erit hanc originationem persuadere Prædicantibus, inprimis Zeæmanno; quia verbera per disciplinam incussa non tantum tangunt aërem, sed & dorsum, & quidem cum sensu: nam si disciplinæ verbera aërem duntaxat verberarent; vtique Prædican-

Isidor. lib. 5. Orig. cap. 27.

dicantes tantoperè à disciplinæ verberibus non abhorrerent.

Subdit Isidorus. *Hinc flagra, & plagæ, & flagella, quia cum flatu & strepitu in corpore sonant; nam plaga, quasi flaga; sed plaga & flagra primæ positionis sunt; flagella autem per diminutionem dicta.* Absterrebit fortassis hæc Etymologia Prædicantes; mallent enim *flagra* & *flagella* sonare *cum flatu* in aëre, quàm, vt Isidorus dicit, in corpore. Vt vt sit, à *flagellis* & *flagellatione* longè elegantiores & latiniores phrases habebit Zeæmannus cum suis symmystis, quàm à *disciplina*; & de toto hoc castigationis genere longè ornatius & castigatius loqui poterunt, quàm nos vulgus, qui *disciplinas*, *disciplinam facere*, & *disciplinari* semper in ore circumferimus: Nec opus erit ad vllum Schorum, vel alterius phraseologiam confugere; sufficient leges Wisigothorum nusquam non obuiæ, in quibus *centum, quinquaginta, etc. flagella* accipere, est *quinquaginta* vel *centum* ictus accipere, præsertim libro sexto, vbi hæc & similia crebro occurrunt. *Septuaginta flagella suscipiat*; id est, septuaginta ictus per flagella. *Centum flagellis publicè verberetur. CL. flagella suscipiant. CC. flagella suscipiat. Ducentorum flagellorum ictibus verberetur. Centum ictus accipiat flagellorum. Centum flagellorum ictibus addicetur. CC. flagella publicè extensus suscipiat. Quinquaginta flagellorum ictibus vapulabit. Centenis flagellis publicè verberandi sunt. Ducentenis flagellis verberati. Ducentorum flagellorũ ictus extensi & decaluationis fœditatem passuri sint, &c.*

Forsan magis arridebit Lex Salica, quę Tit. 13. de furtis seruorum sic edicit: *Si quis seruus foris casa, quod valet duos denarios furauerit, & inde conuictus fuerit, aut flagellis 120. ictus accipiat, aut pro dorso suo 120. denarios, qui faciunt solidos tres culp. ind.* (culpabilis iudicetur.) In quæ scholiastes:

aliquid, præter morem, legem & modum instituti agũt. Similis forsan est ratio loci huius apud S. Augustinum serm. 203. de Tempore. *Qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina*; tametsi locus iste clarior & illustrior est, quàm ille Tertulliani & Ammiani.

In legibus Wisigothorum lib. 6. capitulo cuidam hæc inscriptio præfigitur. *Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.* subditur edictum. *Quemcunq; discipulum in patrocinio, aut inseruitio constitutum, si à magistro, patrono, vel domino competenti, & indiscreta disciplina percussum fortasse mori de flagello contingat, cùm nihil ille, qui docet, aut corripit, in hunc inuidia, aut malitia habuerit; qui cecidit, homicidio nec infamari poterit, nec affligi. quia, dicente Dei sacra Scriptura: qui disciplinam abiicit, infelix erit.*

Vbi planum est, vocem *disciplina* pro ipsa verberatione accipi, si minus pro instrumẽto, vt & in hoc loco, quem scholiastes legis Salicę in tit. 6. profert. *Ex formula cautionis de infracturis. Si exinde negligens vel iactiuus apparuero, spondeo me contra vos, vt talem disciplinam supra dorsum meum facere iubeatis, quam super reliquos seruos vestros.*

Sed non nimis vrgebimus Disciplinæ vocabulum. Si nec eo, nec formulis inde sumptis, Prædicantibus vti collibitum est; habent alia, quæ vsurpent; vt flagellum, flagellationem, *μάστιγα, μαστίγωσιν, verbera, verberationem, flagra*; nec *verbera* exhorrescent, si vera est notatio ab Isidoro allata. *Verbera*, inquit, *dicta sunt, quia cum agitantur, aërem verberant.* Difficile erit hanc originationem persuadere Prædicantibus, inprimis Zeæmanno; quia verbera per disciplinam incussa non tantum tangunt aërem, sed & dorsum, & quidem cum sensu: nam si disciplinæ verbera aërem duntaxat verberarent; vtique Prædican-

Isidor. lib. 5. Orig. cap. 27.

dicantes tantopere à disciplinæ verberibus non abhorrerent.

Subdit Isidorus. *Hinc flagra, & plaga, & flagella, quia cum flatu & strepitu in corpore sonant; nam plaga,* quasi *flaga; sed plaga & flagra primæ positionis sunt; flagella autem per diminutionem dicta.* Absterrebit fortassis hæc Etymologia Prædicantes; mallent enim *flagra* & *flagella* sonare *cum flatu* in aëre, quàm, vt Isidorus dicit, in corpore. Vt vt sit, à *flagellis* & *flagellatione* longè elegantiores & latiniores phrases habebit Zeæmannus cum suis symmystis, quàm à *disciplina*; & de toto hoc castigationis genere longè ornatius & castigatius loqui poterunt, quàm nos vulgus, qui *disciplinas*, *disciplinam facere*, & *disciplinari* semper in ore circumferimus: Nec opus erit ad vllum Schorum, vel alterius phraseologiam confugere; sufficient leges Wisigothorum nuspiam non obuiæ, in quibus *centum, quinquaginta, etc. flagella* accipere, est *quinquaginta* vel *centum* ictus accipere, præsertim libro sexto, vbi hæc & similia crebro occurrunt. *Septuaginta flagella suscipiat*; id est, septuaginta ictus per flagella. *Centum flagellis publicè verberetur. CL. flagella suscipiant. CC. flagella suscipiat. Ducentorum flagellorum ictibus verberetur. Centum ictus accipiat flagellorum. Centum flagellorum ictibus addicetur. CC. flagella publicè extensus suscipiat. Quinquaginta flagellorum ictibus vapulabit. Centenis flagellis publicè verberandi sunt. Ducentenis flagellis verberati. Ducentorum flagellorũ ictus extensi & decaluationis fœditatem passuri sint, &c.*

Forsan magis arridebit Lex Salica, quę Tit. 13. de furtis seruorum sic edicit: *Si quis seruus foris casa, quod valet duos denarios furauerit, & inde conuictus fuerit, aut flagellis 120. ictus accipiat, aut pro dorso suo 120. denarios, qui faciunt solidos tres culp. ind.* (culpabilis iudicetur.) In quæ scholiastes:

liastes:

liastes: *Nec enim olim arbitrio carnificis, sicut hodie fit, flagellabantur condemnati ad flagra, quod ex sacra Scriptura constat.* Harmenop. διὰ δώδεκα ἀλλακτῶν σωφρονιζέσθω. *Et alius:* διὰ κ. μαγγλαβίων σωφρονιζέσθω. *quod idem est.* Glossarium: μαγγλάβια, ἀλλακτά. *In L L. Baiariorum. X L. gamactas* accipiat. *Et*; rumpatur dorsum eius quinquaginta gamactis. *quæ sunt veteri interpreti,* percussiones. Hinc in Glossario Mixobarbaro Rigaltiano; μαγγλαβίτης, qui *manclauiis* vtuntur. Quamuis ἀλλακτὰ propriè significant ictus alternatim incussos, vt apud Balsamonem in Canonem Trullanum, 87. *Qui habet vxorem, & fornicatur, per duodecim ictus alternis inflictos castigetur.* διὰ δώδεκα ἀλλακτῶν. *Qui autem non habet, & in id peccatum incidit, per sex ictus* (ἀλλακτῶν) *alternis inflictos castigetur.*

Curopalata de Bardariotis, qui erant ex ministerio Aulæ Constantinopolitanæ: κρέμανται δὲ ἐπὶ ζώνης ἑκάστου τούτων λῶροι, οὓς καλοῦσι μαγγλάβια, ἤτοι βακτηρίας, ἢ ῥάβδους, μαστίζειν τοὺς ἀξίους μαστίζεσθαι. φέρουσι δὲ ἀεὶ δικανίκια. Quæ verba Caluinianus Iunius ita vertit: *Appendent verò ad zonas cuiusque horum lorea, quas vocant manclauia, aut baculos, virgasque semper ferunt pro sceptris, quibus fustigent eos, qui fuste digni fuerint.* Ineptè prorsus: sic enim vertendum; *Ex vniuscuiusque cingulo pendent lora, quæ vocantur manclauia, aut baculi, aut virgæ, castigandis iis, qui digni castigatione; semperque ferunt* δικανίκια, *hoc est, sceptra.* Est enim δικανίκιον insigne, & digma officij, & potestatis, siue sit virga, siue quid aliud. Sunt autem Manclauia, quasi *Manuclauia*, id est, *claua manuaria, quas Galli vocant* Bourres, inquit Iunius; *quia fæno, aut villo tomentata sunt*; Germanicè, Kolben. At, cum dicat Curopalata λώρους, seu *lora* appellari manuclauia, necessariò dicendum est, eum hîc per *lora* non intelligere flagella, ex loris simplicibus confecta: neque

neque enim ista nominari solent manuariæ clauæ; sed lora, graui quapiam materia farta, & in speciem clauæ conformata; qualia fatui, & moriones ferre solent: tametsi leuiore materia ista lora infarciuntur, ne cui grauius damnum fatui inferant. Itaque lora illa Bardariotarum erant lidere Kolben / quibus à sontibus pœnas exigebant. Nec malè hoc instrumentum *μάστιξ* dicitur, & ipsum supplicium, *μαστίγωσις*; cùm hæc verba crebrò latiore significatione vsurpari soleant. Hinc & ad fustuarium propriè dictum, & ad pœnam per virgas incussam transferuntur. Hunc in modum explicari debere locum istum Curopalatæ, euincit vox *Manclauia*, quæ, vt dixi, in simplicia lora non conuenit, sed in ea, quæ alia materia inferciuntur, & in speciem clauæ conformantur.

Sed, vt in viam reuertar, si vox Disciplinæ, eiusque germina Prædicantibus tam sunt inuisa, & ingrata, vocent cum recentioribus Græcis Manclauia, vel *lora*, vt fiant Lorarij. Nam & loris castigare insuetum non est. In Epitome Canonum Tomi I. Iuris Græcoromani. Tit. 111. *Homicida non est ὁ παιδεύων ἱμάντι καὶ λύγῳ, qui castigat loro vel vimine.* Vbi illud λύγῳ cusum videtur ex latino *ligo*. Hoc Prædicantibus dictum volo, qui metuunt ne si disciplinam faciant, homicidæ fiant; Canon iste hoc metu illos liberat; quia loro vel virgis castigantes, homicidæ non efficiuntur. Si nulla adhuc ex his appellationibus sese Prædicantium palato probat; nominent disciplinam; *Anguillam. Anguilla est*, inquit Isidorus, *qua coërcentur in scholis pueri, quæ vulgò scutica dicitur.* Aptum instrumenrum mulctandis Prædicantium tergoribus, quia pueri sunt, licet grandiusculi, &, vt Comicus vocat, veteres.

Si nec nomen disciplinæ nec aliud ex supradictis amplecti & vsu terere libet; vsurpent nomen *tympani*, seu *typani*, nam inter cætera *fustem* seu *baculũ* significat, *τύμπανα βάκλα, παρὰ τὸ τύπτειν*, inquit Suidas, fiantque *tympanotribæ*, quandoquidem *disciplinantes* seu *disciplinatores* renuunt esse, gratiusque forsan erit *τυμπανίζειν*, quam *disciplinare*, quod barbarum est, ipsoque sono terrificum: vt & de ipsis affirmari queat illud Apostoli Hebr. 11. *ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν*: *fustibus cæsi sunt*; sic enim verbum *τυμπανίζεσθαι* interpretantur nonnulli apud Apostolum.

Si nec *tympanum*, nec *typanum* allubescit; nominent Disciplinam *τυπάδα* seu *τυπίδα*, vt omnis vitetur Homonymia seu æquiuocatio; illudque in mentem reuocent, si *τυμπανίζειν*, Suetonio, *Tympanizare*; est *cædere*, & *verberare*, *τυμπανίζεσθαι* *cædi*, *verberari*, non mirum, si & corpus, quod cæditur, nomen *tympani* seu *typani* inuenerit, quia tympanum non modò instrumentum verberationis, sed & subiectum, siue id, quod verberatur, designat. Quocirca nihil caussæ Prædicantes dicere possunt, cur tam effusè rideant S. Gregorium & Petrum Damianum, quando illud Psalmi 150. *Laudate eum in tympano & choro*: ad carnis macerationem referunt, cum ipse Apostolus illis luce non obscura præeat, vsus verbo *τυμπανίζεσθαι*, dum loquitur de suppliciis, quibus sancti fuêre affecti. Eadem notione idem verbum vsurpauit Lutherus in caput secundum Nahum in illud, vt ipse vertit. *Et Ancillæ tympanizantes super cordibus suis. Sic enim est propriè vertendũ*, inquit ex Tripode Lutherus; *non, vt nostra Biblia legunt, minabantur gementes*: *Idem enim vocabulum est in Psalmo, vbi rectè versum est*; in medio tympanistriarum; *sicut ergo reginæ insultat, ita & ancillis, quæ gemunt, & mœrore afficiuntur dolentes captiuitatem suam: quasi dicat.*

Ich

Ich mein / sie tantzen nu auch herein / *cum sic captiua abducuntur*; sie paucken jetzund auff der Brust. *Egregia scilicet saltatio, hoc est, iã pectora sua tundunt, etc.* Hæc Lutherus. Ex cuius sentẽtia vides, *pectus tympanizare*, idem esse, quod pectus percutere, verberare, auff der Brust paucken.

Si nolint esse *Tympanotribæ*, fiant virgatores à virgis. *Virgæ sunt summitates frondium, arborumq́, dictæ quod virides sunt*, inquit Isidorus: *vel quòd vim habeant arguendi: quæ silenis fuerit, virga est: si nodosa vel aculeata, scorpio rectißimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.* Sed absit virga nodosa & aculeata à dorsis & lumbis Prædicantium, mitioribus illis & lenioribus contenti erunt: nisi malint νάρθηκα; latini vocant *ferulam*; quæ qualis herba sit, & quo caule seu scapo constet, & quibus in locis reperiatur, docebunt scriptores rei herbariæ & plantariæ: vt quemadmodum olim in Bacchi orgiis, sic iam habeamus ναρθηκοφόρους in processionibus & templis.

Sed video non leue in Narthece seu ferula incommodum, cui incurrendo Prædicantes leuiter se non exponent. Nam ictus narthecis longè maiorem dolorem efficit; quàm alia nonnulla, quæ sunt multò duriora; cuiusmodi lignum quercinum & similia; vt docet Aristoteles Sect. 9. Problematum Problem. 8. vbi etiam caussas exquirit, cur id fiat. Legatur Aristoteles, ibidemque eius Interpretes Septalius & Guastauinius. Nec est, quod caussentur Prædicantes ferulam propriè dictam, non esse facile parabilẽ: licet enim νάρθηξ sit scapus illius plantæ, quæ propriè *ferula* dicitur; laxiore tamen & latiore significatu accipi potest, etiam Aristotele suffragante, pro quocunque bacillo leui & rotundo, cuiusmodi est scapus fæniculi, & quęlibet arundo, & alia huius generis

Germanis passim obuia. Nec est, quod illis metum incutiat ferulæ effectus, qui est medium plagæ album efficere; extremitatem, rubram: cum ictus per lignum inflicti, efficiant medium plagæ rubrum; quia formidinem hanc nullo negotio eximet lectus & accuratè expensus Aristoteles Problemate 3. & 4. Sect. 9.

Quid igitur restat, nisi vt Prædicantes de nomine quamprimum conueniant; & tum à nomine ad actionem ipsam progrediantur. Et si quæ hîc proposui, displicent, inspiciant Thesin 36. Prædicantis, vbi varia disciplinæ faciendæ instrumenta enumerat, & quidem quasi à me allata & probata; vt ipsi quidem mentiri lubuit: in quorum numero comparet quoque serratum illud organum, quo mulieres linum pectere & carminare solent; quod Prædicantibus non præscribo; sed si eligere velint, nec impedio, nec inuideo.

CAPVT II.

Defensio secundi capitis Apologetici.

Vide lib. 1. de Discipl. cap. 2. Lib. 1. Vapul. cap. 2. Virgid. p. 2. ca. 1. Grip. Thes. 243.

DISTINGVIT Prædicans opera *in ea, quæ sunt bona per se; & in ea, quæ ex se sunt adiaphora, bona tamen efficiuntur relatione ad bonum & honestum finem.* In priore classe reponit *orationem, eleemosynam, sensuum custodiam, sæculi fugam, &c.* In posteriore, *ieiunium, vigilias, lacrymas, ciliciorum & saccorum vsurpationem, humicubationes.* Non disquiram quàm apta sint exempla; quasi verò ieiunium non æquè sit actus temperantiæ ac largitio eleemosynæ actus misericordiæ; per se ex obiecto & fine suo interno bonus, absque vlla relatione ad alium quempiam finem. Sed vt dixi, non discutiam ista; vt alia infinita, sic & hoc condonabo

bo inscitiæ Prædicanticæ. Subiungit Præco. *Si hæc*, nempe ieiunium, vigiliæ, lacrymæ, ciliciorum & saccorum vsurpatio, humicubationes, *pœnitentia precibusq; iungantur, & ad carnem coërcendam, detractis omnibus impiis superstitionibus, referantur, tum demum Deo, ceu corporalis exercitatio 1. Tim. 4. vel, vt externa humilitatis & pœnitentia signa, probantur.* Concedit ergo Prædicans hæc opera cõiuncta cum precibus & pœnitentia suscipi posse; sed semotâ meriti, satisfactionis, cultus diuini, & operis boni existimatione, quam Præco superstitioni deputat; & quidem impiæ superstitioni, quia ita ab impiis suis magistris edoctus est: Si hoc ita est, quæro, num hoc fine & hac cautione Prædicantes aliquando saccos & cilicia gestent? Num aliquando humi cubent, & ieiuniis ac vigiliis sponte & propriè ad carnis coërcitionem susceptis vacent? Dicant nobis, quæso, Gener, & Socer eius Prædicans Palatinus, ad maiorem Dei gloriam, num vnquam, dum sunt homines, cilicio corpus suum vestiuerint? Ne celent nos, obsecro, hanc suam viuendi austeritatem, si vnquam ea vsi sunt. In memoriam veniat illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Quis enim hymnos laudesque Deo non canet, si Zeæmannum, Heilbrunnerum, Volcium, symmystasque saccis & ciliciis tectos, ieiuniisque ac vigiliis, lacrymis, & chameuniis intentos conspexerit, idque vt humilitatem cordis & seriam pœnitentiam testentur ac profiteantur; non vt aliquid apud Deum mereantur; non vt Deum colant, non vt Deo pro commissis sceleribus satisfaciant: hæc enim omnia circumcidunt & amputant Prædicantes; neque quidquam apud Deum mereri volunt; nec quidquam, vt meriti præmium seu

mercedem ab illo recipere; Itaque nec cogendi sunt; quia, vt Iurisconsulti docent; *inuito beneficium non datur.* Quis manibus in cælum sublatis, Ecclesiæ & Germaniæ non gratulabitur, si his pœnitentiæ operibus viderit à Prædicantibus falsitatis redargui illa Lutheri axiomata: *In omni opere bono iustus peccat. Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum. Nemo est certus se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium.* Nam si Prædicantes se peccare siue mortaliter, siue venialiter censerent in vsurpatione ciliciorum & saccorum, in ieiuniis, vigiliis, lacrymis, humicubationibus; vtique ab iis & ipsi abstinerent, & aliis abstinendum suaderent; quia in longè suauioribus, & sensui acceptioribus exercitationibus mortaliter vel venialiter peccare eligerent; neque operæpretium ducerent, hęc tam aspera peccatis patrandis assumere.

Luth. in Art. à Leone X. damnatis.

Sed hic sudat & æstuat Præco, & inter angustias deprehensus, quo se vertat, vix reperit. Cum enim concessisset, Lutheranos posse gestare *cilicia, saccos induere, ieiunare, vigilare, lacrymari & humicubare*, vt corpus coërceant ac refręnent, & his externis ritibus internam pœnitentiam, & humilitatem præ se ferant; dummodo caueant ne his actionibus aliquid mereri, vel pro flagitiis satisfacere, vel Deum colere velint; tam stupidus non fuit, etsi horrificè stupet, vt non animaduerteret; non tantum Catholicos, sed & ipsos Lutheranos percontaturos, cur non eodem fine & proposito liceat facere disciplinas, vel flagellis proprium corpus subdere. Quid Præco? *Quia quæstio hæc extra oleas vagatur, paucis me expediam.* Minimè vagatur *extra oleas*; quia tam tempestiua est, vt tu ipse videris, Lutheranos ex te quæsituros, cur liceat cilicium gestare & saccum induere pœniten-

Thes. 246.

tiæ,

riæ, humilitatis, & corporis castigandi caussa; non autem liceat disciplinam facere? Opportunissima est hæc Quæstio, positâ tuâ de ciliciis, saccis, ieiuniis & humicubationibus doctrina.

Videamus autem, quomodo ab hac tibi admodum molesta & odiosa quæstione te expedias. *Scriptura non numerat inter corporis coërcendi & pœnitentiæ ac mæroris signa, disciplinam & flagellationem; sed cilicia, saccos, ieiunia, humicubationes, &c. flagellatio igitur non est vsurpanda; sed illa, quæ sacris literis commendantur.* (Quàm verum sit antecedens docet totus liber primus de Disciplinis & Vapulantis. Nam scriptura generatim Disciplinam corporis, & mortificationem membrorum, quæ sunt super terram, & crucifixionem carnis cum vitiis & concupiscentiis nobis iniungit; ergo neque hanc, quæ fit per ictus carni incussos excludit: vt taceam potentissimum illud scripturæ per exemplum D. Pauli hortamentum: *ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου.*

Secunda Prædicantis caussa: *Quia cilicium, saccus, ieiunia, humicubationes longè sunt aliæ res, quàm flagellum, & flagellatio; vt notum est; Differunt enim fine, forma, materia, effectu; ergo non flagellatio, sed priora illa vsurpanda sunt.* Finis cilicij & aliorum operum antea enumeratorum est carnis castigatio & refrenatio; itemque pœnitentiæ & humilitatis professio, vt antea dixit Zeæmannus: sed eundem finem propositum habet Disciplina & flagellatio; ergo & hæc licitè vsurpari potest; licet modo suo, formâ & materiâ à cilicio differat. An non & humicubatio à cilicio discrepat? An ideo nefas est eam adhibere coërcendo corpori, & edendo pœnitentiæ & humilitatis argumento?

Tertia caussa Præconis: *Quia Pontificij vtuntur disci-*

plinis

plinis cum opinione meriti, satisfactionis & cultus diuini; non debent igitur Lutherani,(quos ridiculè vocat *palaeocatholicos*, cum nondum sint nonaginta annorum; nisi fortè à *palea* hanc denominationem desumere velimus; hæretici enim sunt paleæ Catholicorum ; ex eorum enim area auolant, æterno igni reseruati, ni in legitima & proba grana commutentur,) *disciplinas vsurpare, ne videantur imitari Papistas.* Hac ratione euertit Præco id, quod antea docuerat, & Lutheranis suis de ciliciorum, saccorum & ieiuniorum vsu tradiderat: Si enim ob dictam caussam Disciplinæ simpliciter suscipi non debent; simpliciter quoque abstinendum erit à ciliciis, saccis, ieiuniis, & humicubationibus; quia Pontificij hæc æquè cum opinione meriti, satisfactionis & cultus suscipiunt ac disciplinas; imò Lutherani absolutè à precibus, & ab vniuersis virtutum actionibus abstinere cogentur, quãdoquidem omnes istos fines Pontificij orationi & aliis virtutum actionibus appendunt. Cur Prædicantes cultris suis instructi non amputant à disciplinis prædictos fines sibi adeo inuisos; adiunguntque eos, quos amant & amplectuntur, vt faciunt in ciliciis, saccis, ieiuniis? Cur non vt saccos & cilicia; sic & disciplinas ab omni Pontificio fermento purgant, purgatasque alacriter & frequenter vsurpant? Quanquam si ferunt quandoque cilicia; (quod cum videro, credam,) fors non cum Ioramo ad carnẽ intrinsecus, sed supra thoracem ferunt: rati, carnem egregiè refrenari & comprimi vna cum suis appetitionibus; si supra crassum spissumque thoracem, cilicium iniiciant: Quis tam cæcus est, qui non cernat, quantus hinc dolor corpori inferatur, quanta molestia? Nec aliter, opinor, Prædicantes, disciplinas facerent, si facerent; quam supra vestes: acre enim hoc

est

est pœnitentiæ indicium. Sic & libenter humi cubant; sed ita vt lectus inter humum & corpus intercedat.

Quarta Prædicantis caussa meris mendaciis constat; vt, *flagellationem proprij corporis interdici Deut. 14. Leuit. 19. Et aduersari quinto Præcepto.* Nec sanior & melior est caussa quinta. *Quia Disciplina solis hypocritis & iustitiariis vsitata est. Hypocrita* ergo & *iustitiarius* fuit S. Paulus; qui dixit; ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου. Similes eidem fuerunt tot Sancti, quorum exempla & alibi prolata sunt, & infrà itidem proferentur. At hîc iterum Zeæmanno & sociis copiam facimus, vt quidquid finium & intentionum illos in disciplinis offendit; id tollant; eosqi solummodo sectentur fines, quos ciliciis, saccis, ieiuniis & humicubationibus attexit. Videtur tamen, si verum fateri volumus, Præco veram caussam, cur Disciplina à Lutheranis penitus sit repudianda, subticuisse. Ea hæc est; quia Disciplina nimis corium mordet & vrit; acremque dolorem parit. Hinc à Lutherano, salua cutis conscientia, & indolentia suscipi non potest. Dices. An non & cilicium vehementis cruciatus caussa? Omnino; sed cilicium Catholicum ex asperis pilis & setis confectum; non Lutheranum, quod forsan ex pellibus vulpinis, aut cuniculorum pilis constat. At Lutherani adhuc facessunt negotium Zeæmanno; sciscitantes; *Quid si huiusmodi flagellatio moderatè suscipiatur, vt* μηροτοπία, *femoris percussio.* Respondet Præco. *Et quis huiusmodi flagellationis spontaneæ finis & effectus erit? Vel lusus vel hypocrisis.* Nec hæc, nec ille, sed apud Lutheranos idem finis erit, qui cilicij, qui humicubationis, qui ieiunij, qui sacci, qui vigiliarum, qui lacrymarum; nempe carnis refrænatio, humilitatis & pœnitentię testifica- *Thes. 247.*

 tio.

tio. An non suprà dicebas hos esse apud Lutheranos harum afflictationum fines?

Addit Præco. *Pectoris & femoris percussionem & alios huius generis gestus, non esse vsurpatos vt cultus Dei, vel vt media expiandi peccata, sed vt externa mœroris & pœnitētiæ signa.* Vt videat Zeæmannus, quā liberaliter cum Prædicantibus transigere cupiamus, contenti erimus; si disciplinas faciant, dorsumque virgis vel loris percutiant, nō alio prorsus fine, quàm quo pectus & femur percuti posse aiunt; videlicet in signum mœroris & pœnitentiæ. Si percussio pectoris & femoris tale signum est; cur non & percussio dorsi per disciplinam? Forsan Prædicantes concederent dorsum percuti posse; si sola manu, absque virga vel flagello, percuti posset, quemadmodum pectus & femur; sed quia à manu propria tangi nequit, nisi loro, flagello, virga, vel simili instrumēto armetur; hinc fit, vt Prædicantes dorsi verberationem haud æquis oculis aspiciant. Quanquam nullum itidem inter eos reperiri puto, qui pectus tam acriter verberet, quàm olim S. Hieronymus, & apud Climacum, Eremitæ, de quibus actum est, & agetur, vbi de Græcorum disciplinis disseruimus atque disseremus. *Adde*, inquit Præco, *quòd gestus isti, maximè si ex doloris impatientia fluant, plerumq; magis vituperio, quàm laude digni sint.* Non fluant ergo ex doloris impatientia; fluant, vt possunt, ex desiderio coërcendi carnem, & edendi externa seriæ pœnitentiæ argumenta. Ex eodem fonte fluant quoque Disciplinæ, vt sane possunt; fluantque in Lutheranorum, præcipuè verò Prædicantium, terga. Ite-
Thes. 249. rum concedit Præco, *ieiunium, saccos, cilicia, aliasq; huiusmodi per se, & suo genere, non esse opera à Deo prohibita; sed multa illis suppetere scripturæ testimonia & exempla.* Quid

cun-

cunctantur ergo Prædicantes, strenuè ciliciis, saccis, humicubationibus & ieiuniis operam dare, cum sint opera à sacris literis commendata? Quid autem Prædicantibus magis est curæ ac cordi, quàm vt cum sacris litteris se penitus conforment?

Exempla *ieiunij quadragintadialis Mosis, Heliæ, Christi à me ad imitationem fuisse proposita*; mendacium est Prędicanticum; quia scio hæc heroica facta, esse supra communes & ordinariè diuinitus concedi solitas vires; sed hoc dixi; enitendum esse, vt saltem aliquantulum & aliquatenus talia facta in nobis exprimere studeamus, quantum scilicet in hanc nostram infirmitatem cadere potest. Addidi, sanctos, qui plura fecisse, & propius ad prototypa illa accessisse videntur, quàm nostri humeri ferant, non statim *indiscreti zeli* & *imprudentiæ* arguendos esse; quandoquidem non defuerunt exempla, quæ ad imitationem sibi proponerent. *Thes. 251.*

Hæc consequentia: *Deus pios castigat; ergo pij seipsos ad peccata eluenda flagellare debent*; non prodiit ex mea officina; sed ex Prædicantis pistrino. Ego ita argumentum formaui, vel potius suppeditatâ materiâ formandum insinuaui. *Deus filios suos flagellat & castigat; saluo amore, quo filios suos complectitur*; quod multis scripturæ testimoniis confirmaui, *ergo etiam homo seipsum, seu proprium corpus flagellare & castigare potest; saluo amore, quo corpus diligere iubetur & obligatur: atque adeo falsum est, quod Prædicantes clamant; flagellationem repugnare amori, quo quilibet carnem suam prosequi debet*. Hæc mea est argumentatio; non illa, quam mihi impostor imponit. Vide lib. 2. Vapulant. cap. 1. *Thes. 253.*

Quærere autem lubet, an non etiam amori naturali corporis aduersentur cilicium, ieiunium, humicuba-

tio, vigiliæ? An non corpus cruciant? An non dolorem pariunt? Si hæc illæso amore, quo corpus foueri debet, suscipi possunt, cur non & disciplina?

Thesi 254. irridet ac exagitat Petrum Damianum. Qua de caussa? Quia in scriptis suis, præcipuè in Epistolà ad Clericos Florentinos, & ad Petrum Monachum, non semel has & similes consequentias vel ipsemet texit, vel texi posse innuit. *Perpessiones, quas Martyres à tyrannis cæsi perpetiebantur, Deo grata & accepta erant, quando à Martyribus ei piè & religiosè offerebantur; ergo Deo etiam grata & accepta erunt illa verbera, & inde enati dolores, quorum ipsemet homo est auctor & caussa efficiens.* Item. *Deo gratus fuit sanguis Martyrum aliena tortorum manu effusus; ergo & illum sanguinem non aspernabitur Deus, quem ipse homo per flagella sibi incussa moderatè fundit; si ad diuini nominis gloriam amplificandam reuerenter referatur.* Has & similes consequentias Petrus Damianus vel apertè format, vel formari posse tacitè insinuat; quas qui ridet, is nihil aliud, quàm vt rideatur, quærit. Ex quibus concidit insulsa illa Prædicantis sciscitatio. *Quid verò isthinc, informis Suita, concludes?* Iam vidisti, quid concluserim. Tu tibi habeto tuas consecutiones, ingenio tuo perquam consentaneas, illam præsertim; *Martyres à carnificibus occisi sunt; ergo ipsi etiam seipsos occidere possunt*: Minimè hoc ex doctrina Damiani concluditur; quia Damianus non ignorauit Præceptum illud Decalogi NON OCCIDES: Et vt hoc non ignorauit, sic & optimè perspectū habuit, nuspiam scriptum esse: *Non facies Disciplinam.* Vel, *Proprium corpus tu ipse verberibus non afficies.*

Obiicit Præco. *Deum iussisse, vt cum religionis gratia à tyrannis cædimur vel trucidamur; verbera ipsamq; mortem*

pati.

patienter feramus. Quid infers præco? Num hoc? *Ergo illicitum erit flagellis in proprium corpus animaduertere.* Sed quæ huius consequentiæ cum antecedente connexio? At probas consecutionis tuæ ineptiam. *Quod non est præceptum, illud est illicitum: Disciplinam facere non est præceptum, ergo illicitum.* Maior constat axiomate Prædicantico, ac proinde repudiando. Quid si & Minorem, vt falsam & fallacem, reiiciam? certè corporis castigatio, refrenatio, mortificatio, & vitiorum crucifixio in sacris literis non semel præcipitur; ergo & illa, saltem generatim & indeterminatè præcipiuntur; quæ ad hunc finem conducunt; ex quorum numero haud eximi debet disciplina, quæ ideo duntaxat Prædicantibus tam inuisa & exosa est, quia admodum acre & mordax est corporis affligendi instrumentum.

Concessit non semel præco corpus macerari & atteri posse ciliciis, saccis, humicubationibus & vigiliis. Quæso, cur non & disciplinis? *Ista*, inquit, *non habent testimonium à scripturis vt illa:* Falsum. An non sat testimonij hoc? *ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, castigo corpus meum:* Item; *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, &c.* & alia huius generis non pauca, quæ nos ad corporis coërcitionem cohortantur.

Consequentia illa: *Magistratus licitè facinorosos plectit; ergo flagellatio voluntaria suiipsius est licita, imò & meritoria & satisfactoria*: non est mea structura, sed Prædicantis impostura. Mea consecutio hæc est; si candidè ex dictis & scriptis meis efformetur. Magistratus, Parentes, Præceptores, licitè & saluo naturali amore; quem proximo debemus, possunt & solent subditos, filios, & discipulos verberibus castigare, si quid culpæ admiserint; ergo ipse etiam homo eidem verberationis mulctæ Thes. 26.

se subiicere poterit, corporis castigandi & culpam admissam eluendi caussa. Nam quod Coccyx noster iterum cuculat; *Magistratum, Parentes, Praceptores habere diuinum mandatum, vt subditos, filios, discipulos puniant, si quid prater rationem & honestatem consciuerint*; id nihil est ac nihili, cum itidem diuinum mandatum exstet, vt desideria carnis non perficiamus, sed potius carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigamus; membra itidem, quæ supra terram sint mortificemus; quod sanè per disciplinam vt acriter, ita & admodum efficaciter perficitur.

Post hosce tantos anfractus confert se tandem Præco ad secundum libri de Disciplinis & Apologetici caput; sed non nisi flexuosè & sinuosè, neq; enim vnquam recto motu & tramite incedit animal illud, quod vocatur Prædicans; sed obliquè repit & tortuosè, serpentis instar. Nam prius statum quæstionis, & vt Prædicantes passim loqui amant, τὸ κρινόμενον constituit, vbi non iniuria præconis stultitiam admireris; qui post duas demum de Disciplinis in vulgus datas disputationes, in tertia, & quidem non in primo, sed in secundo capite statum controuersiæ formet ac proponat, nimirum Thesi 267. Quid egisti igitur in prioribus disputationibus & thesibus? Qui ordinatè & methodicè differunt, illi initio statum controuersiæ proponunt, & quò tendant, exponunt, ne in progressu aërem verberent, & in incertum vagentur; quod Zeæmanno accidisse pro testimonio est tam sera cogitatio de cardine, in quo omnis disceptatio versatur, etiamsi illud ipsum non testarentur singulæ theses, propè dixeram, syllabæ antegressarum disputationum, in quibus nullus ordo, sed sempiternus horror & furor. Dices, Te τὸ κρινόμενον etiam alibi constituisse. Si alibi,

alibi rectè constitutum erat, cur hic Battalogicè iteras? Et cur alibi non nisi post thesin 35?

Consideremus tamen, quomodo hîc licet sub serum crepusculum Prædicans τὸ κρινόμενον constituat. Ait. *Integrum κρινόμενον est. Num flagellatio opus sit non modo licitum, Deoq; gratum, sed & satisfactorium pro peccatis, ac meritorium vitæ æternæ:* Mox in me dat impetum, quasi mala mente & manu posterius membrum resecuerim, & in tertium librum reiecerim. At lector consulat præfatiunculam meam in tres libros de Disciplinis; illic videbit, quid in illis libris tractādum proposuerim, & quàm verè quiritetur Prædicans de omisso posteriore τοῦ κρινομένου membro. Tota quæstio & controuersia est, *num liceat facere disciplinā.* Hanc libro primo probaui testimoniis Scripturæ & Sanctorum. Libro tertio idem ostendi ex disciplinæ fructibus. Libro secundo dissolui eorum argumenta propriè, qui disciplinam negabant esse licitam. An non hanc methodum, quam in exordio libri mihi præfixeram, postea in toto disputationis decursu accuratè obseruaui? Sed Prędicantium antiquissimus & solennissimus mos est, vt sub τοῦ κρινομένου velo & operculo, inscitiam, fraudes & fallacias suas abscōdant. Hinc quomodocunq; tandem status Quæstionis à Catholicis scriptoribus formetur; semper tamē reformandi vel potius deformandi occasionem arripiunt; & ea admiscent, quæ ad rem non faciunt, vel certè ita faciunt, vt rem potius inuoluant, quàm euoluant, & tergiuersandi aliquam ansam præbeant: vt & hic factum: nam licet disciplina non esset opus satisfactorium pro peccatis, & meritorium vitæ æternæ; nihilominus hæc consequentia nullius ponderis esset, præsertim apud Lutheranos: *Disciplina non est opus satisfactorium pro peccatis vel meritorium*

rium

rium vita æterna; ergo non eſt opus licitum, Deóue gratum & acceptum: quia ſatisfactio & meritum ſunt operi bono extrinſeca, abſque quibus tota ratio boni operis eſſentialiter conſiſtere poſſet; & Lutherani non negant, quædam ſua opera eſſe licita, Deoque grata, & tamen abnuunt ea eſſe *ſatisfactoria* & *meritoria*: vt ſupra etiam audiuimus ex Zeæmanno, qui Theſ. 244. cilicia, ſaccos, vigilias, humicubationes, & huius ſortis alia fatetur *Deo probari, ſi pœnitentiæ precibusq́; iungantur, & ad carnem coërcendam referantur*. Idem ergo & de diſciplina ſentire liceret, niſi pellem acrius vreret, quàm Prædicantes tolerare queant, quamuis ſatisfactoria & meritoria non eſſet.

Poſt feliciſſimam τῦ κρινομένυ conſtitutionem accedit præco ad loca ſcripturę, quæ generatim Diſciplinam commendant: & varia notatu admodum digna profert. Theſ. 274. Inter cætera etiam hoc: *flagellare*, metaphoricè vel ſynecdochicè accipi pro *caſtigare*. Quando igitur fur flagellatur non propriè caſtigatur; ſed metaphoricè duntaxat: quod vtrum verum ſit, poterit Zeæmannus aliquando ex fure quopiam, cum virgis ſeu flagellis dorſum eius conſcribillatur, exquirere. Quid verò ſibi vult illud *ſynecdochicè*? An hoc? Flagellationem eſſe ſpeciem caſtigationis, & hanc latius patere, quàm illam? Si hoc velit, vt quidem velle videtur, tum dicere poterit etiam hominem ſynecdochicè eſſe *animal*, quia eſt ſpecies quædam animalis, minus latè patens ac illud.

Alterum obſeruatione dignum eſt illud, quod præ- Theſ. 275. co ait; παιδεύειν Lucæ 23. v. 16. vbi noſter Interpres: *Emendatum ergo dimittam*; non accipi *ſpecificè* pro flagellatione, ſed potius generatim *pro caſtigatione*. Et probat hoc grauiſſima auctoritate Lutheri; qui vertit; Ich wil jhn

züchtig

züchtigen. Sed hæc tam rudis inscientia facile dispellitur: quia παιδεύειν vel παιδεύσας apud S. Lucam illam definitè corporis castigationem significat, quam Pilatus Christo infligere cogitabat, sed hæc alia non fuit, quàm flagellatio, ergo hanc corporis castigationem definitè significat vox παιδεύσας apud sanctum Lucam. An non quiuis etiam Iudex de reo, quem flagellare, flagellatumque dimittere statuisset, iure diceret? *παιδεύσας αὐτὸν ἀπολύσω, emendatum dimittam?* An hîc παιδείας seu παιδεύσεως nomine aliam castigationem, quàm per flagella seu virgas intelligeret?

Addit miserabilis Prędicans. *Etiamsi verbum παιδεύειν apud S. Lucam pro flagellatione vsurparetur, non tamen accipi posse de flagellatione suitica*, hoc est, *propriis manibus vltro infligenda*. Scilicet hoc nunc agitur; non illud: vtrùm voces παιδεύειν, παιδεία, παίδευσις, idem aliquando sint, quod *flagellare* & *flagellatio*; seu *verberare* & *verberatio*. Esse; euidenter euincit locus ille ex S. Luca: vt alios tacitus prætergrediar. Si ergo παιδεία significat generatim flagellationem seu verberationem; significabit quoque illam, quę fit propriis manibus, nam & hæc verè flagellatio seu verberatio est; & adeo vera; vt ipsi etiam Sectarij, priscos illos errones, qui oppidatim & vicatim circumeuntes flagellis sua corpora plectebant, non aliter, quàm *Flagellantes* seu *Flagellatores* nominent.

Affingit mihi Præco hanc consequentiam. *Disciplina in scripturis significat castigationem, ergo etiam flagellationem*. Si liuor & mendacitas Prædicantis id permisissent, hunc in modum consequentiam contexuisset. *Disciplina sæpe significat in scripturis generatim quamcunque castigationem; ergo & flagellationem*. Antecedens patet ex sacrarum literarum testimoniis, quæ cap. 1. & 2. lib. 1. de disci-

plinis protuli. Consequentia probatur. Quia etiam flagellatio est quædam castigatio; si igitur disciplina generatim significat quamcunque castigationem; vtique & flagellationem significabit.

Fabricat & hanc Præco consecutionem. *Flagellatio est castigatio, quia dolorifera. Ergo est castigatio illa, quam scriptura παιδείαν vocat, & proinde licita.* Nimirum Prædicans quiduis somniat, & mox somnia sua mihi transcribit. cedo, vbi hanc formaui consequẽtiam? Designa pagellã libri, si potes: aut si non potes, vt reuera non poteris, esto, qui es, hoc est, Præco vanidicus. Nam argumentum meum est istud: Disciplina seu παιδεία in scripturis significat generatim quamcunq; castigationem: ergo & hanc quæ fit per flagella. Neq; ita argumentum institui. *Disciplina in scripturis significat castigationem etiam per flagella; ergo flagellatio sui ipsius est licita:* quia nõ omne quod in scriptura significatur, eo ipso est licitũ; sed licitum fit, si cum cohortatione ad amplectẽdum; significetur prout significatur disciplina pro castigatione; nã scriptura disertè nos monet ac vrget, vt illam apprehendamus, & obuiis vlnis complectamur; est ergo licita, quandoquidem sacræ litteræ ad illicita neminem exstimulant.

Thesi 280. somniat æger præco cõtradictiones: quas tamen frustra sis, si extra Prædicantis cerebrum quæras; sicut frustra fueris, si somnia extra somniantis caput quærere instituas. Dixeram in Vapulante, mentiri socerum Zeæmanni, quando dicit, Iesuitas ad corporis per flagella castigationem rapere omnes illos locos, in quibus vox *disciplina*, aut παιδεία, aut vocabulum Germanicum Zucht compareat. Accurrit gener, & socerũ suum insigni mendacio à mendacio absoluit. hoc est, cœnum cœno purgat & abluit: *Nam Gretserus* lib. 1. de Disciplina

cap. 1.

cap. I. dixit, *tres potissimum disciplinæ notiones inter cæteras eminere, easq; ita inter se connexas esse, vt vix scripturæ locus proferri queat, in quo omnes simul non reperias.* Sunt autem istæ. I. Omnium actionum tam internarum quam externarum ad honestatis præscriptum conformatio & compositio, inq; officio coërcitio & restrictio. II. Actio castigandi, seu castigatio. III. Passio, seu terminus & effectus huius castigationis. *Ergo Gretserus omnes illos locos, in quibus fit mentio disciplinæ seu pædiæ, vel illius* Zucht / *ad flagellationem rapit, etiam illos; in quibus Disciplina accipitur pro sola institutione per literas & artes liberales; quæ Disciplinæ significatio admodum frequenter in libris Salomonis occurrit.* Sed Præco fortius adhuc istum contradictionis nodum adstringit; *capite enim secundo ita scribit Gretserus. Quomodocunque disciplinam, de qua nobis disputatio* (quæ verba Prædicans dolo minimè bono omisit) *spectemus, nihil aliud est, quàm disciplina: siue disciplinam accipias pro castigatione, siue pro perseuerantia in eo, quod rectum ac honestum est, siue pro refrænatione sensuum prauarumq; cupiditatum: ergo Gretserus omnes scripturæ locos, in quibus vox disciplinæ visitur, ad flagellationem rapit.* An non est hæc luculenta & insolubilis antilogia?

Vt autem omnem euadendi rimam mihi intercludat; mentitur, Flagellationem, quam Lutheri de grege Choerus *Suiticam* indigitat; iudicio meo, *æquè latè patere, ac disciplinam in sacris litteris præscriptam*; & vt delirium suum penitus compleat & perficiat, fingit me dicere, *sub nostra disciplina, tres illas disciplinæ notiones, tanquam species, contineri*: quod nisi mendaciloquentiam & stupiditatem præconis accuratè nouissem; suspicarer hæc non nisi à temulento & madidè madido in chartas relata esse. Sed fortè ad prædictas duas dotes ebrietas accesserat:

rat:& acumen Prædicanticum duplicauerat vel triplicauerat.

Eiusdem farinæ est istud; *omnia illa*; (hoc est, omnes tres cap. 1. assignatas notiones) *quæ sacræ literæ in disciplina commendant, & cuius gratia illa commendant, reperiri in Disciplina per flagella: Ergo Socer Praconis non est mentitus quando dixit; Iesuitas rapere ad flagellationem suam omnes illos scripturæ locos*, quæ disciplinæ meminerunt. Gratulor tibi, ô socer, de tam acuto genero, & tam valido scapularum tuarum patrono.

Thes. 281. Sed en aliud telum. Gretserus locum illum Psal. 2. *Apprehendite disciplinam, &c.* torquet *ad flagellationem*: Quid concludis gener pro tuo socero? Num hoc? *Ergo Gretserus rapit omnes locos Scripturæ ad suam disciplinam*. Pulchra & arguta collectio. At Bellarminus & Genebrardus accipiunt hunc locum pro *institutione & pura doctrina Christi, quam Propheta ab omnibus vult cupidè apprehendi.* Quid tum? An ideo mei sensus non est capax ille locus? An vnus duntaxat sensus vni loco substernitur? An ideo omnes locos scripturæ, qui *Disciplinæ* vocem nobis exhibent, ad flagellationẽ refero; quia hunc locum eo refero?

Dixeram, Apostolum Hebr. 12. loqui de disciplina in genere; igitur & de nostra, quæ fit per flagella, quòd ipsa etiam re & nomine disciplina sit. Hinc rursus colligit Præco, me omnes scripturæ locos, in quibus Disciplinæ mentio exstat, ad flagellationem rapere. *I nunc*, inquit, *& nega amplius, te omnes locos, in quibus disciplinæ mentio fit, ad flagellationem rapuisse.* Oro te, quid attulisti, quò minus id in præsenti, vt antea itidem, inficier. Num me tam timidum arbitraris, vt propter mendaciorum tuorum insulsitatem à vero velim recedere?

Thesis

Thesis tua 282. gemellum antegressis pseudologiis mendacium est; vt & Thesis 283. quæ mihi hanc ἄνοιαν tribuit. *Vbicunque in scriptura mentio fit disciplinæ, ibi etiam mentio fit flagellationis; sed plurimis scripturæ locis mentio fit disciplinæ. Ergo*, &c. Maior non est mea; sed Præconis: qui proinde non mecum, sed cum suis laruis dimicat: homo vsque adeo ineptus, vt ne malè sanæ mentis suæ ludibria & phantasmata absque mendaciis refellere soleat.

In legibus Wisigothorum libro 6. statuitur, vt quis pro alapa alteri incussâ, *decem flagella; pro pugno vel calce, viginti; pro percussione verò in capite, si sine sanguine fuerit, ab eo, quem percusserit, XX. flagella* (viginti ictus) *accipiat*. Si Prædicans iste pro quolibet mendacio & conuicio, quo me & alios onerat atque percutit, vnum duntaxat *flagellum* seu *ictum* dorso suo excipere deberet, profectò verberum numerus numerum Thesium Prædicanticarum, qui est DXIV. quadruplo aut quintùplo excederet. Licet enim difficile sit reperire Thesin, in qua non insit mendacium aut conuicium, si tamen aliqua vel illo vel hoc caret, aliæ defectum eius abundantissimè supplent. Concludamus nunc hoc caput; sed, more consueto, emblemate quopiam Lutheri, ex quo Hæresiarchæ illius, & omnium Prædicantium animus in opera Pœnitentiæ, atque adeo in Disciplinas & cilicia perspicuè elucescat. Quanquam Zeæmannus supra tam honorificè de ciliciis, humicubationibus, saccis & vigiliis sentire visus est, vt existimarim eum paulò pòst vsurpaturum illud celeusma Auctoris sermonum ad Fratres in Eremo serm. 40. vbi loquitur de asino ligna ad sacrificium, quo Isaac immolandus erat, portante Gen. 22. *Attendamus nunc fratres, nam quid per asinum,*

cendi te ad vitam; & eripiendi ab ira, Diabolo ac inferno. Hæc Lutherus.

Ex cuius insulsa oratione euidenter apparet nemi-nem Lutheranorum affici posse erga opera carni & san-guini molesta & iniucunda, cum ea Lutherus deputet *stercoribus*, quibus pectus & os eius vberrimè semper abundabant: cui hoc solenne est; de religiosa vita, eiusque exercitamentis sic garrire & scribere; quasi per hæc credamus homini primam iustificationem confer-ri; vel etiam secundam, sed absque Christo, præcisè per ipsa opera; quod vanissimum est commentum, cum omnes orthodoxi palam fateantur; Disciplinis, ciliciis, atque aliis vitæ asperitatibus nihil virtutis inesse, nisi *desuper*, hoc est, nisi beneficio & munere Saluatoris & Domini nostri IESV Christi.

Nec verum est, quod Lutherus de Moysé declami-tat; nam Moses seu lex Mosis iustificabat (non enim *auditores, sed factores legis iustificabantur*, teste Apostolo) Rom. 2. verum non seorsim; & absque Christo, sed vt vim & ef-ficacitatem à venturo liberatore accipiebat. Neque hoc ornamentum vnquam Christus Mosi vel Mosaicæ legi abstulit: sed tantùm incredulos Iudæos à littera occidente legis, ad Messiam, quem lex annunciabat, & à quo omnem suam vim hauriebat, euehere voluit.

Ad extremum, quærere lubet ex Zeæmanno an ipse etiam Apostolus Paulus cum Luthero omnem corpo-ris castigationem, Disciplinas, cilicia, pro stercoribus habuerit, quando scripsit; *Propter quem* (Christum) *om-* Philip. 3. *nia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora.* Nam si his verbis comprehendit corporis mortificationem & cru-cifixionem etiam per disciplinas; cur publicè hoc de se scriptum reliquit? *ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου.* Cur toties Chri-

Christianos ad ieiunia & id genus alias vitæ asperitates cohortatur? Illud etiam scire peruelim; cur supra Præco vsum ciliciorum, saccorum & chameuniarum Deo gratum acceptumque esse asseruerit, si cum precibus & pœnitentia iungatur, & ad corporis refrenationem referatur? Num *stercora* & *stercorea* opera Deo grata accidere queunt?

CAPVT III.

Disiiciuntur calumniæ in caput tertium & quintum Apologetici à Gripo effusæ.

Thes. 291. HOc loco videtur Præco egere sensu, non ratione; quia negat disciplinam seu proprij corporis flagellationem, esse carnis mortificationem & crucifixionem; hoc est, castigationem, macerationem & afflictionem. Quid hic opus argumentis? In rem præsentem Præco descendat, & experiatur seu propria seu aliena manu, num proprij corij diuerberatio & flagellatio sit mortificatio & crucifixio. Forsan mutabit sententiam, & Thesin, qua hoc asseruit, spongia eluet. Malim autem vt manu aliena, sed valida & valente, experimentum capiat; quia fors non nescit illud S. Athanasij: *Verberari Christianorum proprium est, Flagellare autem Christianos, Pilati & Caiphæ officia sunt.* *S. Athan. Epist. ad solit. vitam agentes.*

Ne tamen absque omni ratione delirare videatur, rationes sui delirij producit sequentes. I. *In locis à Gretsero prolatis non fit mentio flagellationis, sed mortificationis & crucifixionis: Ergo flagellatio non est mortificatio vel crucifixio.* Respondeo, consequentiam esse anilem; & similem huic: In locis vbi nominatur genus, vt animal, v. g. nomi-

non nominatur ſpecies, vt homo; ergo homo non eſt animal. Vel: In locis vbi nominatur pœnitentia in genere; non nominatur ieiunium, ergo ieiunium non eſt pœnitentia ſeu ſpecies pœnitentiæ. Antecedens inprimis falſum eſt; quia nominato genere; nominatur itidem ſpecies ſubiecta, ſaltem implicitè & virtute, cum genus ſpeciem implicitè ac virtute contineat. Sic vbi nominatur in ſcripturis mortificatio & crucifixio carnis, implicitè nominatur etiam flagellatio, quia eſt mortificatio; Et qui hoc abnuit, is ad experientiam veniat, & in aliam ſententiam è veſtigio concedet. Deinde conſequentia prorſus eſt abſurda. Licet enim nominato genere, nulla prorſus ratione nominaretur ſpecies; abſonè tamen inferretur id, quod tam peritè concludit Præco, quàm ſi diceret: In inſcriptione librorum Ariſtotelicorum de Hiſtoria & partibus animalium non fit mentio hominis; ergo homo non eſt animal.

II. Ratio Prædicantis. *Locus ſcripturæ, quæ mortificationem & crucifixionem requirunt, non ſatisfacit flagellatio; quia flagellare ſe non eſt ſe mortificare.* Repeto, quod ſupra dixi, Flagelletur Præco, vel à ſe, vel, quod ſatius duco, ab alio; & tum diſcet; num flagellatio ſit mortificatio; vtatur ſenſu magiſtro; quia magiſtra ratio apud iſtum, nihil, vt video, efficiet: qui, vt apparet, nomine *mortificationis* craſſius quiddam concipere & ſibi imaginari videtur, quàm vt in ſubtilem animum cadere poſſit.

III. *Scriptura oſtendit mortificationem fieri, non voluntaria corporis laceratione, ſed exuitione corporis peccati.* Vbi verò oſtendit ſcriptura mortificationem non peragi voluntaria corporis caſtigatione, quam tu inuidiosè vocas *lacerationem*? Forſan illo loco. ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου. *Caſtigo, contundo, liuidum reddo corpus meum.* Conſiſtit

quidem hæc mortificatio in hoc, vt exuatur & destruatur corpus peccati; sed quæritur, quodnam instrumentum adhibendum sit, vt exuatur & destruatur corpus peccati; & an non ad hanc destructionem plurimum momenti Disciplina seu flagellatio adferat. Negat quidem Zeæmannus; sed ideo negat, quia *Dulcinista* est; (nosti, qui olim fuerint Dulcinistæ?) nihil nisi mella & melimela loquitur; aut admittit Dulcitius iste.

Hinc IV. dicit; *Mortificandam carnem*; sed *gladio Spiritus.* Si quæras, quis sit iste gladius. Respondebit; *reperiri hunc gladium in hoplotheca Geneseos cap. 1.* Crescite & multiplicamini. & 1. Cor. 7. *Vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæq; suum virum habeat.* Quid tum? licet Monachus Monacham, Lutherus, Pornam; vel Monacha Monachum, Porna Lutherum. Crede, & res salua est. Gladium hunc, quo caro Lutherana mortificatur, egregiè depinxit & efformauit Lutherus in caput 6. Ioannis Tomo 2. Nouorum Operum, quem legat, qui volet. Ego ad alia propero.

Thes. 295. Præco contradictionem mihi obiicit. Quia libro 1. de Disciplinis cap. 3. & lib. 1. Vapul. cap. 3. p. 27. dixi, Apostolum in illo monito. *Mortificate membra, quæ sunt super terram:* nomine *membrorum*, non intelligere membra hæc externa & corporea. At hoc ipsum dicit Prædicans me inficiari in Vapulante cap. 3. p. 20. Sed tu, Christiane lector, certus esto, Zeæmannum mentiri, quotiescunque contradictionem ingeminat: nam in opere de Disciplinis, loco notato, nihil dixi expresse de *membris* externis; sed subdidi; ipsum Apostolum mox explicare, quæ nam membra mortificare iubeat; *fornicationem nimirum, immunditiam, libidinem,* &c. Quanquam fateor hæc mortificari non posse; nisi mortificentur

mem-

membra externa; nam caſtigatione corporis externi mortificatur & refrenatur libido, & omnis à ratione auerſa cupiditas. In Vapulante p. 20. nominaui expreſsè etiam membra externa, tanquam mortificationi obnoxia; non quidem principaliter propter ſe; ſed propter membra illa interna à S. Paulo enumerata; nam ſi eo in ſtatu verſaremur, in quo verſantur beati, vbi omnis rebellio & lucta Spiritus ac carnis deſiit, & omne periculum lapſus planè excluſum eſt; haud opus haberemus tali mortificatione, & vitiorum vnà cum concupiſcentiis crucifixione; pag. 27. Vapulantis non negaui abſolutè, vt iſte mentitur, Apoſtolum loqui de membris externis huius corporis; ſed negaui eum loqui de illis, eo ſenſu, quem ſocer tuus obtrudebat; & nobis falſo imponebat; dictitans, ſequi; *vt membra corporis omnino ſint occidenda & exſtirpanda, ſi mortificatio ad ea pertineat, cum rem mortificare, nihil aliud ſit quàm morti dare; & penitus excindere.* Reſpondi, Apoſtolum non voluiſſe, vt ipſa naturalia corporis membra; ſed vt illa alia, quorum ſtatim edit Catalogum, morti dentur & prorſus eradicentur; quod quia fieri nequit; niſi membra itidem externa corporis mortificentur; hoc eſt, caſtigentur, macerentur, & in officio contineantur: nemo tam ſtupidus eſt, præter Zeæmannum, qui non videat, membra externa non poſſe plane ab hac mortificatione excludi; ſed ſi excluduntur, excludi ſolummodo quòd non ſint primarium huius mortificationis obiectum, penitus interficiendum, & exterminandum; ſed tantummodo in ordinem cogendum, ne internis illis membris, quæ ſunt fornicatio, immunditics, & alia huius generis, ſubſeruiant.

Sed inſulſus huius inepti ſoceri gener ſic deliraſſe videtur.

detur. *Mortificare idem est, quod morti dare, seu mortuum facere, hoc est, occidere; ergo non potest referri ad membra externa corporis.* Consequentia proba foret, si Antecedens probum esset; sed quia nauci est ac nihili; absque omni iniuria ipsam itidem consecutionẽ eiusdem generis esse credes: Mortificat enim quis seipsum, cum auertit oculos, ne videant vanitatem; Et tamen, nec seipsum propterea occidit, nec sibi oculos eruit.

Petieram, vt socer Præconis nominaret illum *spiritus gladium*, seu *instrumentum* quo Prædicantes facta carnis mortificari debere dicunt. Gener me indignum iu-
Thes. 299. dicat, qui his mysteriis Lutheranis initier. *Taceo*, inquit; *ne margaritas Suitæ, qui de rebus diuinis, vt alter Lucianus, lusitat, obiiciam.* Me miserum, qui à hoc mystagogo ab adytis Lutheranismi excludar, neque discere valeam; quis nam sit ille gladius, & quod instrumentum, quo Lutheranus spiritus carnem mortificat. Si tamen coniectare licet, existimo hunc gladium non esse alium, quàm quo vsus est Lutherus, cum Monialem sibi iunxit, cuius attritu corpus suum mirificè attriuit; ita vt quouis Gastrone & Physcone macilentior euaserit; adeo vt in tanta macie, Luthero exstincto, vermes, quod depascerentur, vix inuenirent. Et hic gladius tum demùm maximè penetrabilis est, cum fide Lutherana armatur.

Thesi 301. asserit aliquid Prædicans quod tergo eius haud satis feliciter eueniet, nisi calculum reuocet, ac Thesin inconsideratè effusam retractet. Ait. *Omnem à Spiritu sancto praeceptam mortificationem, non tantùm καθόλου & vniuersim, sed & ratione suarum siue formarum, siue partium consideratam, esse necessariam: Si ergo flagellatio mortificationis species est, omnino necessaria erit: quod enim omni*

omni generi & toti, illud etiam omnibus speciebus conuenit. Respondeo, omnem mortificationem signatè, determinatè & speciatim præceptam, necessariam esse, etiam quoad omnes eius species, si & istæ sint determinatè & speciatim præceptæ. At verò si ipsum genus seu mortificatio in genere solummodo præcipiatur; vt fit in loco S. Pauli de mortificandis membris; tum nego omnes etiam mortificationis species determinatè ac definitè præcipi; nec verũ est; quidquid conuenit generi, hoc speciebus quoq; subiectis conuenire, loquendo de iis, quæ generi extrinsecus accidunt, cuiusmodi est sub præceptum positiuum cadere seu materiam præcepti efficit: nam & pœnitentia in genere disertis verbis in scriptura præcipitur, neque tamen omnes pœnitentiæ species & modi determinatè & particulatim præcipiuntur.

Cum autem suprà concesserit Præco, cilicium, saccum, humicubationem, vigilias, & alia huius classis esse carnis refrenationes, hoc est, mortificationes, seu mortificationis imò & pœnitentiæ species, necessario iam concedere debet, cilicia, saccos, humicubationem & similia determinatè & speciatim esse præcepta; quia ipsum genus mortificationis & pœnitentiæ præcipitur; quidquid autem generi competit, hoc competit quoq; subiectis speciebus; vt ex Topicis argutè disserit Zeamannus: si hoc ita est; quæro, num aliquando socer Præconis, aut ipse gener, aut alius Prædicans huic determinato præcepto satisfaciat, aut satisfecerit; quæro, inquã, num vnquam cilicium aut saccum induerint, & quidem ad nudam viuamque pellem; nam ferre cilicium supra thoracem bombycino tomento egregiè fartam, quæ tandem mortificatio, quæ pœnitentia fuerit? Obsecro, dicat nobis ad gloriam Dei Præco, num aliquando cili-

cium gestarit; non manibus; sed vt amictum, in nudo corpore. Certè magnam oportet esse Prædicantium in exequendis præceptis diuinis socordiam, si huic particulari & determinato, vt ex Zeæmanni doctrina colligitur, præcepto, nunquam satisfaciunt aut satisfecerunt.

Sed en telum ex Prędicantica pharetra. *Omnis mortificatio de qua Paulus loquitur, est necessaria, sed Flagellatio non est cuiuis necessaria. Ergo.* Respondeo, Maiorem esse falsam, si intelligatur determinatè de quacunque mortificatione; nam mortificatio in genere præcepta est: non autem omnis mortificatio in specie.

Necdum finis. Aliud spiculum vibrat. *Optima & accommodatissima membrorum mortificatio, qua inprimis Christo* (flagellato) *assimilamur haud dubiè omnibus est necessaria Flagellatio ex assertione Suitica est optima membrorū mortificatio, ergo.* Respondeo, Maiorem esse falsam, si vt debet, intelligatur de necessitate præcepti. nam quotidianum ieiunium est optima & accommodatissima membrorum mortificatio, vt & religiosæ vitæ professio, mundique & omnium rerum caducarum desertio; nec tamen vel illa vel hæc vlli ex præcepto necessaria est.

Cap. 3. & 5. lib. 1. de Discipl. & cap. 5. lib. 1. Vapulantis, produxeram nonnulla loca, quæ nos ad tollendam Christi crucem, & ad imitationem passionis Dominicę cohortantur. Occursat Præco. *Cuilibet Christiano ex præcepto necessarium esse, vt crucem Christi tollat; at mea ipsius confessione, flagellationem non esse cuiuis homini ex præcepto necessariam, non contineri igitur in & sub illa cruce, quam Dominus à nobis quotidie in humeros tolli mandat.* Facilis est responsio. Necessaria est ex præcepto illa crucis sublatio & gestatio, sed in genere; non determinatè, quoad omnes

Thes. 307.

nes

nes eius species: vt antea respondimus de mortificatione.

Verbosè probare conatur Præco verbum *accipere*, non semper dici de illo, quod in nostra sit potestate positum; sed & de illo, quod aliunde aduenit, neque à nobis efficitur. Quis hoc ignorat? Quid opus probatione rei ad rem nihil pertinentis, & ab omnibus concessę? si tamen negat, id à nobis accipi posse; quod nostri est arbitrij, & à nobis effectum; reuocari poterit ab hac stultitia exemplo sartoris & pistoris, quorum ille vestes, quas fecit; accipere & induere, hic autem panes, quos pinsuit, accipere & comedere potest. *Thes. 310.*

Ad cohortationem S. Petri de imitatione Christi passi, respondet Prædicans, *imitationem Christi etiam in aliis consistere.* Dic tandem aliquid, ô Præco, quod nesciuerimus: semper enim nota canis. Item; *Petrum nihil dicere de voluntaria sui diuerberatione.* S. Petrus monet, vt imitemur Christum passum; qua possumus, & fas est. At Christus passus, est etiam Christus flagellatus: nisi forte flagellatio apud Zeæmannum non sit passio, sicut supra non erat mortificatio: Ergo S. Petrus hortatur, vt Christum quoq; flagellatum nobis ad imitandum proponamus. Quomodo autem propius in Christi flagellati signis vestigia nostra ponemus, quàm, si vt ipse, ita & nos, vel propria vel aliena manu verberibus afficiamur? *Thes. 311.*

Thesis 314. nihil aliud est, quàm coccysmus, Thesis 315. imperitia est, cum pseudologia & lœdoria. Neque enim sequitur: *Licitum est ad imitationem Christi flagellati seipsum verberibus subiicere; ergo etiam licet ad imitationem Christi crucifixi seipsum crucifigere*, hoc est, *occidere*, minimè verò; quia scriptum est: *Non occides:* at nuspiam hoc Interdictum inuenies: *Ne te flagelles.*

Syllo-

Syllogiſmum ex particularibus ſibi ſuiſque lorariis ac flagrionibus Zeæmannus referuet: vt & hoc ſuum mendacium; mea ſententia, *omnem dolorem & cruciatum eſſe crucem Chriſti.* Videat lector cap. 5. lib. 1. Vapulant.

Poſt varia conuicia mentitur Præco, non eſſe Quæſtionẽ, *num Chriſtus flagellatus fuerit, ſed num ipſe ſeipſum flagellauerit.* Quæ te agitant intemperię Prædicans? In capite 3. & 5. lib. 1. de Diſcipl. & in cap. 5. Vapulantis nullum verbum dixi de hac quæſtione, vtrum Chriſtus ſeipſum flagello ceciderit: neque verò facere debui, quia ex locis Euangeliſtarum, & ſancti Petri, & ex flagellatione, quam Chriſtus in prætorio Pilati ſuſtinuit, oſtendere volui, diuerberationem ſui ipſius eſſe licitam & honeſtam: deq; hoc tota diſceptatio eſt, num ex illis ſacrarum literarum teſtimoniis, & ex flagellatione à Chriſto pro nobis ſubita & ſuſcepta, rectè concludatur & colligatur ſpontanea corporis per flagella caſtigatio. Verum ſi ego aſſererem; Chriſtum, vt alia pœnitentiæ opera; non ſui, ſed noſtri cauſſa: ita & hoc, de quo diſputamus, ſuſcepiſſe, quo argumento me refelleres? Certè nullo, niſi hoc ſtramentitio. *Non eſt ſcriptum, Ergo nec factum.* Belle, quia Prædicanticè. Adderes vt ſannionem decet, ſannas prout addidiſti contra Auctorem epiſtolæ Encyclicæ quem dicis *garrire*, Chriſtus hab ſich gequelt vnd gepeiniget. Quid in hoc aſſerto inanis aut temerarij garritus? An non ex ieiunio illo quadraginta dierum, & ex tam duro cubili ac ſtrato, quo tunc vſus, moleſtiam, defatigationem, atq; adeo pœnam ſenſit, & quidem volens libenſque? Annon tandem eſuriit? An non laſſus & feſſus de via reſedit ſupra puteũ, ex quo Samaritana mulier haurire venerat latices? An non in monte Oliueti, quando *factus in agonia prolixius orabat, ſudorq; eius factus eſt ſicut*

Theſ. 319.

Luca 22.

gutta

gutta sanguinis decurrentis in terram; ingentes dolores ac cruciatus sustinuit? A quo, obsecro? An non à se ipso? An non nutu & arbitratu suo? An non ipsemet illius angustiæ, quæ etiam sanguinem ex venis expressit, caussa efficiens fuit? Vnde rectissimè dixit Auctor Encyclicæ, Christus hab sich gequelt vñ gepeiniget/ꝛc. Nec tamen hoc simpliciter & indefinitè protulit, vt tu falsariè proponis, sed de angustiis illis duntaxat, quas in monte Oliueti Christus perpessus est, hoc asseruit; imò & ex tota illa actione, vel potius passione non infirmum pro disciplinis argumentum duxit. Nam si vt socer ac gener & reliqui Prædicantes calumniantur disciplinam sponte facere, & per disciplinam aliquid sanguinis fundere opus est *abominabile, Acatholicum, Antichristianum, Idololatricum, Hæreticum, Ethnicum, Baaliticum, Stultum, Diabolicum*, idem dicendum erit de opere illius, qui sponte sua, à nullo planè coactus, sed solo suo arbitrio in eas se angustias coniicit, vt sanguis vbertim ex venis erumpat, & in terram defluat; & longe quidem copiosius, & cum acriore doloris sensu, quam si quis flagris sese mulctaret. At Redemptor noster hoc posterius in monte Oliueti fecit & passus est, volens, libensque, & si lubuisset, vnico verbulo & annutu totam illam, eamque grauissimam pœnam, imo & totam passionem à se seclusa hypothesi & in sensu diuiso amoliri potuisset, vi sua, & ministerio item Angelorum, vt ipse apertè indicauit verbis illis ad Apostolum Petrum. *An putas, quia non possum rogare patrem meum; & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Quid igitur socer atq; gener de hoc Christi opere statuent? Num illud iisdem elogiis exornabunt, quibus disciplinas voluntarias? Certè insania eorum huc tendit: vt manifestè probat Encyclica, ad quam lectores remitto. *Matth. 26.*

G Ego

Ego hæc Præconis verba ex Thesi 319. perpendenda censeo. *Hoc* (Christum seipsum flagellasse) *nemo dixerit, nisi infrunitus Suita sit, cuiusmodi ille fuit, qui Christum in monte Oliueti seipsum flagellasse nugatus dicitur.* Magnam & solidam à me iniuisses gratiam, si nomen Iesuitæ huius palam expressisses, & locum, vbi hoc dixit vel scripsit: & Auctores itidem ex quorum relatione tu hoc cognouisti. Nunc cum in tenebris mices, nec tantæ fidei sis, vt hoc, absque vllo testimonio verisimili affirmanti, securè fidem habere queamus; non succensebis si te hîc solitam mentiendi artem factitasse eo vsque suspicabimur; donec testem vel testimonium aliquod audiri & recipi dignum attuleris.

Forsan Iesuita ille, si vnquam exstitit, aut quid eiusmodi pro concione pronũciauit, grauissimos illos cruciatus, quos Saluator noster in monte Oliueti subiit; *disciplinam* impropriè nuncupauit. Certè disciplinam dici posse; res ipsa indicat ob doloris vehementiam & acrimoniam & largam illam sanguinis effusionem, absque vllo tortore externo, vt postea in flagellatione & crucifixione accidit. Et si iuxta Prophetæ vaticinium, *Disciplina pacis nostræ super Christum facta*; in monte profectò Oliueti super eum quoq; facta est, & si, alicui, etiam Prædicanti, necessitas incumberet, vt aut disciplinam faceret, aut sanguinem tantis tormentis effunderet, quantis eum effudit Christus in monte Oliueti; equidem credo, quemlibet obuiis vlnis disciplinam amplexurum, ne in angustias illas & angores montis Oliuarum incurreret.

Quod attinet ad quæstionem num Christus disciplinam fecerit, dixi iam supra; Prędicantes, licet ringantur, ostendere non posse; Christum, disciplinam non fecisse.

nam

nam parti aienti nonnihil probabilitatis conciliat, opinio quorundam, quorum meminit Liranus in cap. 2. Ioan. qui senserunt, Christum pro cingulo vsum fuisse funiculo, eoque in formam flagelli complicato, cui fauere videntur tres summi, antiquissimi & sanctissimi Pontifices, quorum primus sanctus Anacletus, qui epist. 2. de Christo dicit: *Ipse proprio flagello peccantes sacerdotes è templo eiecit.* S. Pius I. hoc nomine: *Et mensas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo.* S. Iulius I. huius nominis in Rescripto ad Orientales pro Athanasio. *Mensas nummulariorum proprio euertit flagello, &c.* Cur tres isti Pontifices vocant flagellum, quo Christus trapezitas ex templo expulit, *proprium* Christi; si non tulit cingulum in modum flagelli complicatum? Et si eiusmodi cingulum gestauit, absque scelere opinari possumus, illud Christo eum quoq; in vsum seruiuisse, de quo Prædicantes æqua mente cogitare nequeunt: Nihil affirmo. Tantum ostendo, caussæ nihil suppetere Prædicantibus, cur præ admiratione quasi extra se rapiantur, quando audiunt tale quid à Christo factitatum esse. Quid autem Lutherus in cap. 2. Ioannis nugetur de funiculo seu flagello Christi, exposui in Virgidemia Volciana. *Virgid. cap. 11. p. 2.*

CAPVT IV.

De loco Apostoli ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου. *1. Cor. 9.*

QVæ copiosissimè de hoc loco libro primo de Disciplinis & in Vapulante disserui, ea Zeamannus Thesi 352. exagitat; & in tota exagitatione non inest mica salis: omnia insulsa, inscita, inficeta, inepta & mendaciis plena: in quibus & *Vide lib. 1. de Discipl. cap. 1. Lib. 1. Vapul. cap. 4. Virg. p. 2. cap. 2.*

hoc; *me dubitare, num verbum ὑπωπιάζειν vſurpetur impropriè ac metaphoricè Luc. 18.* vbi iudex de vidua, ius ſuũ ſibi reddi poſtulante; *ἵνα μὴ ὑπωπιάζῃ με: ne me ſugillet.* Nunquam mihi hæc fictitia dubitatio in mentem venit.

Addit argumentum acutiſſimum, *ὑπωπιάζω propriè eſt oculos faciemúe liuore, ſanguinisúe nota ſugillare, plagis contundere, & quocunquè modo vel organo externo (puta virgis, ictibus, ceſtibus) liuidam reddere ſignificat*; ergo cum Apoſtolus dicit; *ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου*, metaphoricè illud accipit pro *domare, refrænare, ſubigere, coërcere, ſubiicere & ſubiugare, non externis ictibus, & verberibus, ſed alius modis & mediis cuique rei ordinatis.* Argutè profectò; quaſi verò vox illud ſolummodo, à quo formata eſt, non illud, ad quod denotandum inſtituta eſt, propriè ſignificet; nam licet *ὑπώπια*, nomen habeant ab oculis, quaſi dicas, *ſuboculariа*, non tamen propriè ſolùm ſugillata & vibices ſub oculis ſeu faciei ſignificant, ſed generatim, & quidem propriè accipiuntur *ὑπώπια* de qualibet parte corporis plagis ſugillata, & in liuorẽ data, cum apud alios, quos alibi citaui, tam apud Ariſtotelem ſect. 9. problematum problem. 6. 9. 10. vt docent ibidem duo Ariſtotelis Interpretes Septalius & Guaſtauinius.

Et quidem Ariſtotelem *ὑπώπιον* generaliore ſignificatu vſurpaſſe, nimirum pro Ecchymoſi, ſiue vibicibus quibuſuis, oſtendit Septalius I. inde, quia problemate quinto dixerat philoſophus *ἅπαν τὸ σῶμα*, totum corpus ſenum, eſſe *οἷον ὑπώπιον*, quaſi *vibicatum*, hoc eſt *ὑπωπιασμένον*, vbi manifeſtè refert Ariſtoteles *ὑπώπια* ad totius corporis vibices non metaphoricè, ſed propriè acceptos. Deinde, quia Ariſtoteles docet problemate nono & decimo, *ὑπώπια* æneis cyathis curari, & thapſiâ; quæ pro curandis oculis ſugillatis nullus aſſumpſerit,

pſerit, inquit Septalius. Si Prædicans vim vocis nimis grammaticè vrgere velit, dicere oportebit; ſolos vibices ſub oculis eſſe ὑπώπια, non totius faciei. Quid ergò fiet de hypopiis in fronte? Quid de illis, quæ ſunt in palpebris? Nec moramur Cynulcum apud Athenæum lib. 3. Dipnoſoph. qui Vlpianum irridens talem hiſtoriolam narrat. *Aliâs, ô amici, impacto ſaxo tibia vulnerata, adhibitoq; remedio, cum in publicum exiret, rogantibus, quidnam hoc mali eſt, Vlpiane? hypopion: aiebat: Ego verò cum illo tum degebam, riſum cobibere cum non poſſem, apud quendam amicum meum partes oculis ſubiectas craſſiore medicamento inunxi, & qua nam illa mea foret ægritudo ſciſcitantibus, προσκομμα, id eſt, illiſos ac offenſos oculos fuiſſe dicebam*; non moramur, inquam, hunc Cynulcum, licet illi Athenæi commentator ſuccinat, tum quia ibidem eundem Vlpianum immeritò, teſte ipſo Caſaubono, idem Cynulcus reprehendit, quòd ſtrenam Romanorum appellaſſet ἐπινομίδα, & quod vocem φαινόλην ſeu φαινόλην, *penulam* vſurpaſſet; tum quia Ariſtoteles longè melior eſt huius rei arbiter, quàm Cynulcus ille; tum quia in huius vocis explicatione mentem & ſcopum Apoſtoli, veterumq; patrũ intueri debemus, quibus ὑπωπιάζω eſt, quamcunque corporis partem contundere, liuidam & vibicatam reddere; ita vt ὑπώπια generatim denotent vibices, qui nil aliud ſunt, quàm circa cutem affectio, quando tenuibus in ipſa venis contuſis, ſanguis per fiſſuras effunditur, non ſanè aceruatim in vnum locum, qui enim ita excernitur, ſtatim in grumos coit, ſed quãdo per διαπήδησιν, hoc eſt, perſiliendo, aut exſiliendo effuſio ipſa facta eſt, vt ex Galeno docet Guaſtauinius ad Problema IX. Ariſtotelis. Deinde *ſugillare* & *ſugillata* propriè ad omnes corporis partes referuntur, ergo &

ὑπώπια & ὑπωπιάζειν; quia *sugillatum* & *sugillare* nihil est aliud, quàm ὑπώπιον & ὑπωπιάζειν; vt etiam prisci patres agnouerunt, & fatentur ex Hæreticis ipsis non pauci.

Chrysol. serm. 16. His testibus adiungo Petrum Chrysologum, vetustum scriptorem, qui de hoc S. Pauli affirmato hunc in modum scribit. *Hoc implebat Paulus, qui seruitutis suæ titulos sic scribebat, &c. Liuidum facio corpus meum, & seruituti subiicio, præbebat vindictam bonus seruus, qui se vsq; ad liuorem sic agens, iugiter verberabat.* Sed quid opus plura testimonia conquirere, quando ipse Præco dat tandem manus, & ita blatit. Thes. 359. *Non nego, verba isthæc ὑπωπιάζειν & ὑπώπια de quacunq; corporis contusione, plagis, ictibusq; factâ interdum accipi*; Cur non & in sæpe dicto Apostoli loco? nam quod iterum occinis; *ὑπώπια propriè esse oculorum seu faciei sugillationem, non dorsi, vel aliarum partium corporis*, ineptiam non minuis, sed duplicas vel triplicas: inepta enim est hæc consequentia; vox *hypopion* vel *Hypopiazo* deducta est à facie seu oculis; ergo propriè non significat nisi vibices & sugillata vultus & oculorum.

Obiicit Prædicans; illa δουλαγωγῶ, *in seruitutem redigo*; item; *sic pugno, sic curro*; vsurpantur metaphoricè, *neq; enim propriè redigitur corpus in seruitutem spiritus; neq; professio religionis Christianæ, & vita ad normam huius professionis conformatio, est cursus propriè dictus vel pugna; ergo etiam illud; ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου accipi debet metaphoricè.* Lib. 1. cap. 4. fol. 33. 34. Hoc argumentum totidem fermè verbis proposueram in Vapulante, &, concesso antecedente, consequentiã negaueram, negationisque rationem reddideram. Et tamen Prædicans ampullas Hunnianas proiiciens, ad hoc argumentum *solo radio scriptum*, & *ex ipsius textus visce-*

visceribus deductum, me nihil respondere mentitur; neq; attingere illa: Ego sic curro, sic pugno; *in quibus tamen totius controuersiæ neruus consistat.* Quæ omnia nihil aliud sunt, quam petulantis & effrenatæ linguæ ὀγκώματα & ἐκχυνάματα, vt fatebitur, qui mea saltem inspexerit, si minus legerit.

Vt autem Prædicans specimen nobis præbeat, quàm sit in Analytica arte egregiè versatus, analysin Paulinæ disputationis exorditur; & de ludis Olympicis, Isthmiacis, aliisque, & eorum certandi rationibus nugari incipit; & postquam omnia egit, ludum & nugas egit; Et id, quod nulla demonstratione eget; verbosè demõstrare contendit; illud autem, in quo rei cardo versatur, intactum reliquit. Nemo abnuit, Apostolum sumpsisse similitudinem à ludis seu certaminibus olim vsitatis, & celeberrimo populorum accursu frequentari solitis; id enim ipsa Apostoli verba apertè præ se ferunt; tota quæstio est; vtrum in hac oratione à similitudine cursorum & pugilum, vt alia quædam, sic & vocabulum ὑπωπιάζω accipiatur tropicè tantum; non propriè, pro percussione, verberatione & contusione corporali, cui hoc nomen propriè competat. Hoc si probasset, rem confectam habuisset Præco, nunc extra oleas vagatur, & fumos fucosque venditat; semperq; ad hanc suã ineptiam relabitur. Verba, *curro* & *pugno*, accipiuntur tropicè; ergo & verbum *hypopiazω*. Vbi probatio? nisi si fortè ista. *Si verbum* ὑπωπιάζω *acciperetur propriè; sequeretur, Paulum propriè artem pugillatoriam factitasse*: At quis sanus hoc affirmet? Respondeo, negando sequelam; hoc enim solummodo sequitur, Paulum propriè dictis ictibus & percussionibus vsum esse; sed in alia palæstra; nec in alienum, sed in proprium corpus. Nam

Thes. 363. & seq.

verbi

verbi hypopiazo proprietas, non à loco, sed ab actione, significata dependet. Nec vel teruntij ęstimanda est hęc Prædicantis phantasia. *ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, est oratio à simili; ergo Tropica & impropria*, perinde ac si diceret. Hæc oratio: Antelucanis horis surgam, & litteris operam dabo, instar seduli & industrij opificis; est à simili; ergo Tropica & impropria: imò propria, nam vt faber propriè surgit ex strato ad suos labores; ita & ego ad meos. Sed quidquid dicamus, quidquid Prædicantibus de Paulinis hypopiasmis ingeramus & occinamus, ipsi ad Lutheranos hypopiasmos intenti ora ferũt; Et Paulinos itidem eò pertrahere nituntur. Quales autem Lutherus *Hypopiasmos* amauerit, & suis amplectendos proposuerit, ostendi sæpius in Vapulante: & satis elucescit ex his impuri desertoris Fescenninis & plusquã Ithyphallicis & Priapeiis pronunciatis. *Obiiciunt Pontificij: licet impoßibile sit, seruare castitatem solis naturæ viribus, castitas tamen obtineri potest precibus, vt docet S. Hieronymus. Respondeo ad primum. Deus non multum largiatur mihi de castitate S. Hieronymi* (vox porci, non hominis) *qui ipsemet confitetur, quod carnis suæ insaniam & rabiem nullis ieiuniis & molestiis domare quiuerit. Quantò melius sibi consuluisset, si ex Pauli consilio vxorem potius duxisset, quam his flammis arsisset.* (En Lutheranum hypopiasmum pro Monachis & Monialibus, aliisque Deo votiuis capitibus.) *Non est bonum hac in re sequi Hieronymi exemplum; quia castitas plena est tentationibus* (coniugati scilicet tentationibus carent, illi præsertim, quibus quiuis & quæuis magis placet, quàm coniunx) *sed quotidiana huiusmodi vstio & æstuatio euidenti indicio est, Deum tibi nec dedisse, nec dare velle nobile donum castitatis, quæ spontè non coactè obseruetur.* Hæc Chœroboscus Lutherus; qui de suis Hypopiasmis grunnire hunc in modum pergit.

Ad

Ad secundum Respondeo; omnia vtiq; à Deo precibus impetrari possunt; sed non vult tentari Deus. Christus potuisset se demittere de Templi pinnaculo, vt suadebat Diabolus; sed noluit, quia non erat necessarium, & alio modo descendere poterat. Possem & ego precibus impetrare, vt nec manducarem, nec biberem fructus terræ; sed quia hoc non est necessarium, Deusq; tantum mihi largitus est, vt comedere & bibere queam, non conuenit, vt Deum tentem; & omißis iis, quæ dedit, expectem, *nulla neceßitate compulsus; ea, quæ non dedit.* (Quis non obstupescat ad huius Gastronis & κοιλιοδαίμονος ὑπωπιασμοὺς, qui orationem, qua quis petit à Deo, vt castitas sibi concedatur, confert cum illa, qua quis à Deo flagitaret, vt ex altissima turri sese absque nocumento præcipitare, vel vitam cibi potusque expertem ducere posset. Ex quo liquet, Lutherum existimasse, tam rarum esse castitatem seruare, quàm rarum est, vt quis ex celsissima turri absque læsione sese deiiciat, aut quàm rarum est, vt aliquis hanc vitam absque vllis esculentis & poculentis transmittat. Nam quod Lutherus dicit, se precibus impetrare potuisse, vt sine cibo & potu viueret, vtinam id fecisset; Multo vino multisque eduliis in vastum illud dolium congestis, parcitum fuisset; totumq; illud, quod inaniter ab immani illa Charybdi absumptum & absorptum est, in meliores vsus conuerti potuisset.) *Sic & in proposito, cum Deus masculum & fœminam creauerit, vt coniungantur, non debeo alium statum mihi proponere ac sectari velle, neglecto illo, ex curiositate & petulantia. Hac enim ratione coniicio me in periculum, nulla neceßitate compulsus, & tento Deum, cum in promptu sit alius status à Deo institutus, in quo à tentatione immunitatem habeo.* (Scilicet, coniugati omni tentatione vacant, pro testimonio sunt tot eorum contra fidem & fideli-

tatem matrimonialem lapsus.) *Quid mihi virginitate opus est, quando experior, eam mihi non suppetere, neq; Deum peculiariter ad eam me vocare; cum tamen sciam me ad matrimonium procreatum esse.* Hæc Lutherus seuerissimus Hypopiasta; qui castitatē pro impossibili habuit; Nam illud impossibile rectè censetur, quod lege Dei ordinaria & consueta non est possibile. Sed castitas, lege Dei ordinaria & consueta, non est possibilis, quandoquidē non aliter possibilis est, quàm vita omnis cibi & potus expers; neque aliter à Deo obtinetur; nisi vt donum absque cibo & potu viuendi, prout Lutherus palam, remoto omni velo, affirmat. Cuius Epicurea & Sardanapalica vestigia discipuli eius gnauiter affectantur, ex quorum numero est, Auctor, qui se vocat Simonem Reuters von Schlaitz/in Quæstione Episcopis proposita, cur non patiantur Sacerdotes, Monachos & alios, vxores ducere, ita scribit. Keuschheit halten (acht ich) ist also gemein/wie Muckengehirn/da gilt ein Pfund in der Apotecken dreyhundert Guldin. *Castitatem seruare arbitror tam commune, ac culicum cerebra, quorum vna libra 300. florenis in Pharmacopolio venditur.* Num erit quispiam, qui hæc talia considerans, miretur, ab istis castigationem corporis per verbera, & hypopiasmos Paulinos maledictis ac conuiciis proscindi? Vtar verbis S. Athanasij ad Serapionem. *Quis hoc audiens Christianus iam non magis paganos eos iudicat? Nam talia pagani aduersum nos dicunt inter sese confabulantes. Quis volet ad talem istorum insaniam respondere?*

Annondum satis audisti, Gripe, de tui Chœrandri hypopiasmis? An vis, vt & hæc addam ex Tractatulo contra deprauatores & falsatores Cæsarei Edicti. *Bone Deus, an non tandem intelligemus, votum impossibile, non esse* *Tom. 2. Ihen. Germ.*

votum,

votum, nec obseruandum. Quis vouere volatum, instar auis, votumq; obseruare potest, nisi Deus cum miraculis suis præsto sit? Atqui tantundem est, cum vir aut mulier castitatem vouet; quia ad castitatem non sunt creati; sed ad illud; crescite & multiplicamini. Quia castitas est res impossibilis, vbi Deus miraculum nullum patrat. Nec valet votum miraculo innixum, quod in potestate mea non est situm. Quapropter stultè egi, nec obligor tale votum seruare, neq; Deus illud à me requirit. Hæc Lutherus, & cum illo asseclæ, præsertim Prædicantes, qui quamdiu hoc sunt animo, aliter in Disciplinas & corporis per verbera ὑπωπιασμὸς, affecti esse nequeunt, quàm modò sunt, hoc est, vt cànes in clauam, histricis pelle, setis ac telis exasperatam.

Sed quia Lutherus suprà, D. Hieronymum; & alibi tam hunc, quam S. Augustinum, aliosque sanctos traducit, quod fateantur, se tentationes passos, & cum carne perpetim luctatos esse, monere placet nihil culpæ aut reprehensionis apud Deum vel homines contrahi ex eo, quod quis inuitus patitur; sed potius hinc coronam in cœlo augeri. *Multa iustus aduersa in anima patitur instigatione Dæmonum,* inquit Isidorus, *sed talibus tentamentis perire vita æterna non potest. quia, pius Dominus ad damnationem culpæ non reputat, quod de sua maiestatis permissu nolens, qui patitur, portat. Nam ibi peccamus, vbi cupiditate, vel voluntate deflectimus. Vbi verò violenter addicimur, etsi facinus, aut flagitium non est; miseria tamen pro flagitio, & facinore est. Sed, qui Deum pro irrogata laudat miseria, commisso procul dubio caret facinore.* Isid. lib. 3. sent. cap. 6.

Idem Isidorus: *Nonnunquam etiam electorum mentes horrendis imaginibus somniorum spiritus immundi terrificare conantur: & quos vigilantes vitiis tentant, nec superant, acriter dormientes impugnant. Sancti autem etsi ad momen-* Cap. 6.

tum huiusmodi visionibus commoueantur: mox tamen euigilantes illusionũ vanitates despiciunt, intentionemq́ suã protinus ad Deum conuertunt. At certum esse debet; *non esse peccatum, quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur: sed tunc esse peccatum, si antequam illudamur, cogitationum affectibus praeueniamur. Luxuriae quippe imagines, quas in veritate gessimus, saepe dormientibus in animo apparent, sed innoxie, si non concupiscendo occurrant.* Hæc contra impudentiam Lutheri annotasse, & obseruasse profuerit; Ex quo quærendum est, an nulli coniugati tentationibus & illusionibus tam diurnis, quàm nocturnis sint obnoxij? Vix puto vllum fore tam effrontem quinti Euangelij Præconem; qui sit affirmaturus. Sed reuisamus ad Zeæmannum, qui mentitur, *Gretserum non potuisse producere vllum scriptorem, qui locum illum, ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, ad flagellationem proprij corporis retulerit.* Et tamen citaui, teipso teste, Paulinum, Theophylactum, Irenæum; & Chrysostomum, quem tu non nominas; attamen ego auctoritate eius fui vsus. *At isti non faciunt mentionem flagellationis.* Quid tum? At dicunt, Paulum corpus proprium liuidum reddidisse & sugillasse, quod aliter fieri non potuit, nisi percussione, verberatione & contusione; quam si flagellationem appellare nolis, omittas licet, non mouebimus tibi litem de nomine.

Thes. 377.

Pòst profert Præco varios Patres, Ambrosium, Chrysostomum, Theophylactum, Hieronymum, Augustinum, Primasium, Gregorium Magnum, Macarium, Antonium Magnum Abbatem, Saluianum, Maximũ, Hugonem, Aquinatem, Liranum. quorum alij locũ hunc exponunt de ieiunio & abstinentia; alij de laboribus, lucta & pugna aduersus carnem & Dæmonẽ. Quid hæc omnia ad rem? An non palã fassus sum, Apostoli locum etiam

etiam de ieiunij & abſtinentiæ hypopiaſmo capi poſſe; ſaluo tamen proprio & principali ſenſu, qui eſt de contuſione corporis vſque ad liuorem & hypopia? Deinde, patres, locum Paulinum generatim de corporis caſtigatione & lucta cum carne & ſanguine interpretantes, non excludunt corporis per verbera mulctam, quia & hæc vtique corporis coërcitio, eſt corporis caſtigatio, & pars illius pugnę, quæ nobis vſque & vſque cum carne eſt depugnanda.

Deliramentum illud: *Qui bonum certamen certat, fidem ſeruat, eſurit & ſitit, carceribus & plagis ſupra modum afficitur, ille ſeipſum flagellat: Paulus illa omnia fecit & perpeſſus eſt. Ergo.* tu tibi ſerua, tanquam cerebri tui fœtidum fœtum. Abſque riuali ſeruabis. Mihi quidem nec ſomnianti vnquam obiectum eſt, quanto minus vigilanti? Itaque cum illud deſtruis ac demoliris, imitari mihi videris truculentam illorum animalium ſæuitiam, quæ fœtus ſuos, niſi maturè ſubtrahantur, deuorant. Theſ. 382.

Pro clauſula huius loci Paulini prætermittere nequeo, quo minus Prędicantibus ex Ariſtotelica apotheca præſcribam pharmaca depellendis hypopiis, ſi quando ea per hypopiaſmos ſuos contraxiſſent, ex quibus ſunt recens detractæ brutorum pelles, arietum præſertim, & oua ſuperconfracta. Nam vt Ariſtoteles docet ſect. 9. probl. 1. μώλωπας κωλύει τὰ νεόδαρτα δέρματα περιτιθέμενα, καὶ μάλιστα κριῶν (forſan aptiora fuerint ob cognationem & affinitatem tragica δέρματα) καὶ ὠὰ ἐπικαταγνύμενα. Eadem mens Galeno, vt docet Septalius. Cauſſas pharmaci huius exponit Ariſtoteles, quem quilibet Prædicantium per otium conſulat.

His remediis adde *æs, ſeu æreum ſcyphum, raphanum, fabam commanſam, argillā, pulmonem & thapſiam* ex Ariſtotele

tele Problemat. 6. 9.10.& 12. Si forſan hæc Ariſtotelica medicamina nihil opis afferent hypopiis Prædicanticis, cauſſa erit, quod ſint alterius ſpeciei & ſortis, quibus proinde ex Fracaſtorij pharmacopolio antidotum petere poterunt.

Quia verò verſamur circa hunc Apoſtoli locum; ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, æquitas poſtulat; vt Volcium, ad S. Annam Auguſtæ, Prædicantem, virum innocentiſſimum, à culpa ſolœciſmi Græcanici abſoluam, liberumque pronunciem. Dixerat ſua in concione, τὸ ὑπωπιάζω formari ἀπὸ τοῦ ὠπός. Monueram in Virgidemia, obiter obſeruandum eſſe ſolœciſmum ex Hellade à Volcio allatum. Accurrit Volcianus filius, & patrem ab hoc probro liberat; meque ex ipſa mea Grammatica conuenit, in qua ὁ ὦψ, τοῦ ὠπός. Vtinam Volcius pari facilitate à lœdoriis & pſeudologiis quas effudit, expediri poſſet. Do manum, quandoquidem pleraq; Lexica, & mea itidem Grammatica, voculam hãc maſculini generis ſtatuunt. Etſi non deſunt, qui fœminino inſigniant; inprimis ipſe Lexicographorum præcipuus Stephanus, quem in Virgidemia ſecutus fuerã. Nam in eo Stephani loco mendum typographicum ineſſe, haud crediderim, cum alia itidem Lexica idem genus eidem voci præfigant. Monui autẽ lib. 1. de Diſcipl à nonnullis ſcribi ὑποπιάζω per ο μικρόν, ἀπὸ τῆς ὀπὸς à recto ὄψ, quæ dictio non modò vocem, ſed & oculum atq; adeo idem quod ὁ ὦψ interdum ſignificat. Varinus ex Heſychio

ὄψ, ὄψις, ὀφθαλμὸς, ἡ φωνή.

CAPVT

CAPVT V.

Propugnatio capitis sexti Apologetici.

ARGVMENTVM ab vsu ciliciorum non aliter soluit gener quàm socer: Nimirum, aliud esse cilicium seu saccum; aliud, disciplinam: & vt hoc, quod nemo nescit, ostendat, varias differentias *ex materia, à caussa efficiente, & ab effectu* adducit: quasi hoc agatur; non magis illud: num efficax sit hoc argumentum. *Licuit olim carnem affligere per cilicia: ergo idem licitum est per flagella & disciplinas*: nam si ideo à cilicio ad disciplinas nefas est argumentari, quòd cilicium sit alia quædam res, quàm disciplina; tum necesse erit, vt Præco omnes parabolicas Christi & Apostolorum argumentationes ex Bibliis eradat: vel scholiis suis Prædicanticis illustret. Postquam Christus Lucæ 8. commemorauerat parabolam, de homine, qui *exiit seminare semen suum*, subiecit deinceps: *Semen est verbum Dei*. Hic Præco occlamabit. *ingentem cerni inter semen & verbum Dei differentiam tam quoad materiam, quàm quoad caussam efficientem & finalem: fieri non posse, vt semen sit verbum Dei, vel vice versa; verbum Dei, semen.* Idem occinet S. Paulo in epistola ad Corinthios, à seminis in terram iactu, & ab eiusdem viuificatione & quasi resuscitatione ad corporum nostrorum resurrectionem argumentanti: nam corpus nostrum non est semen, nec semen, corpus humanum: granum enim tritici, verbi gratia, & corpus Gripi immane quantum differunt. Verùm vt hîc & in aliis huius generis rebus sufficit similitudo quædam & proportio inter rem, à qua probatio ducitur, & inter illam ad quam ducitur, sic & in nostro proposito non oportet, vt cilicium & disciplina (idemq; intel-

intellectum volo de cinere, ieiunio, & similibus corporis afflictationibus) sint idem prorsus materia & efficiente; satis est similitudo inter vtraq; & eiusdem effectus siue omnimoda, siue aliqualis similitudo, quæ certè hîc reperitur; nam & cilicium & disciplina carnem affligit & macerat. Et vtriusque finis est carnis edomatio & prauarum appetitionum compressio.

Nam quòd Præco obiicit; *cilicium non elicere sanguinem, vt facit disciplina*; id vt ita esset; an ideo verum non esset, cilicium affligere carnem? An ideo cilicium cum disciplina in generali saltem afflictionis & macerationis inferendę conceptu non conueniret? Num corporis afflictatio in eo solùm consistit, vt aliquid sanguinis fundatur? In ieiunio nihil sanguinis profunditur; & tamen si Prædicans non credit ieiunio corpus affligi; in rem præsentem veniat, periculum faciat, & forsan non grauatè de sententia sua decedet.

Adhæc necesse non est, vt in omni corporis per flagella castigatione sanguis eliciatur; imò fieri potest, vt quis acerrimè dorsum pulset, nec tamen vel guttam sanguinis emittat. Adde, cruciatum cilicij, præsertim asperioris & hirsutioris tantum esse, vt multi malint ictibus, quantumuis acribus, tergum supponere; quàm cilicio corpus amicire. Præterea, si nosse cupit Præco, num cilicium gestatum in corpore *μώλωπας* seu vibices excitet; & cutem quoque dissecet ac exulceret; ad experientiam progrediatur, & cilicino thorace corpus suum vestiat, vel saltem lumbos suos rigidiore zona cilicina cingat & stringat; Forsan discet, quod nunc ignorat, saltem practicè; nam quin alioqui sciat hunc esse ciliciorum diutius corporibus adhærescentium effectum, vix dubitare me sinunt tot Sanctorum, qui ciliciis corpora

pora castigarunt, exempla; quæ Præco in libris meis legit.

Admodum ingeniosè nugatur de cilicio & sacco, & vtriusque vsu & materia: nec aliud deesse video, quàm vt doceret, eadem cilicia posse etiam ex hircinis Prædicantium barbitiis texi: quæ forsan Lutherani, præsertim mulierculæ, libentius ferent, quàm illa, quæ ex pilis hircorum Cilicum, vel camelorum, vel equorum fiunt. Thes. 323.

Neq; illud sciuimus antea; saccum fuisse etiam mœroris & luctus argumentum; nullum hac de re Gretserus in suis libris verbum. Magnę gratię Zeæmanno, pro tam reconditarum rerum benigna reseratione. Illud insuper nemo ad hunc vsque diem nouerat; *saccos non semper ad nudam carnem; sed interdum etiam super alias vestes indutos in concepti mœroris indicium.* Nunc hoc Zeæmanno docente didicimus, cui proinde, vt nos multum obstrictos profiteamur; æquum est. Sed num arbitratur Præco cilicium seu saccum nunquam nudo corpori admotum & iniectum? Nimis profectò spissa esset hæc phantasia; & [illegible]nti soceri genero nimis indecora: quã vel exemplum Iorami cilicium ad nudam carnem gestantis eximere debebat. Si autem Præco existimat cilicium setis horridum absque doloris sensu posse ferri, quando carnem tangit; nil aliud iterum cupio, quàm vt Gripus ad experimentum capiendum descendat. Habent quidem Prædicantes triplicem pellem; sed ne dubites, ad tertiam quoque penetrabit cilicij efficacitas. Quæ autem sint hæ tres Prædicantium pelles, docebit te tuus in Lutheri castris cõmilito Ioannes Agricola in Prouerbiis Germanicis fol. 236. edit. Hagenavvensis anno M. D. XXXVII. nam quæcunque ibi scribit, longè concinnius in Prædicantes competunt, quàm in mulieres.

vt ex animo *contrito* & *humiliato* verè proficiſcuntur. Poteſt quidem homo iratus placari hoc ritu abſque vera & interna placare conantis pœnitentia, & dolore de malè commiſſis, ſed alia ratio Dei eſt, qui cor intuetur, neque opera externa alicuius pretij æſtimat, niſi vt ex corde verè dolente manant. Quanquam & apud homines oportet; vt qui alterius indignationem à ſe amoliri cupit, ſaltem externa pœnitentiæ & doloris ſigna præſeferat, & palam edat.

Mentitur iterum, Præco, cum ſcribit; *me vim flagellationis, non æſtimare ex animi pietate; ſed ex doloris corporalis vehementia:* Hoc nullus ex verbis meis colliget, niſi impoſtor, quiduis in mentiendi & calumniandi materiem conuertere promptus. Nec ex his meis verbis; quę oggerit Præco: *Quicunque hoc caſtigationis genere* (per cilicia) *vſi ſunt, ij eo vſi ſunt, tanquam medio ad iram Dei placandam appoſitiſſimo, ex ipſo naturæ inſtinctu, vt in Niniuitis apparet*; ſupra dictum Prædicantis mendacium colligitur; quaſi in ipſo opere, interna cordis pœnitentia & pietate deſtituto vim cœleſtis iræ placandæ; ineſſe affirmauerim; ſed hoc aſſerui, & etiamnum aſſero; eos, qui ſeriò, piè & *animitus* olim ſcelerum ſuorum pœnitentia & deteſtatione tangebantur; ex naturæ inſtinctu confugiſſe ad cilicium, tanquam ad medium accommodatiſſimum, quo & dolorem cordis ſui teſtarentur, & miſericordiam diuinam obtinerent. Nam cur Niniuitæ ad cilicia, ſaccos & cineres confugerunt? Num ex præcepto aliquo Moſaico? At vbi illud? Et vt exſtitiſſet, quid præceptum Moſis ad Niniuitas extra Moſaicam ſynagogam viuentes? Cur Dauid, cur alij flagella cœlitus inflicta vel infligēda ciliciis & ſaccis auertere properarunt, niſi quia ipſa naturalis ratio docet hoc humilitatis argumentum

&

& corporis castigandi instrumentum Deo propitiando perquam appositum esse; si animo pio, & male commissorum seriò pœnitente vsurpetur?

Vestimenta S. Ioannis Baptistæ mutaret iste libenter in mollia, tenera, & delicata, more quorundam suorum sodalium, sed apertè non audet. Itaque occultè rem gerit; vociferans; *Ioannem talia indumenta non gestasse, vt corpus castigaret, sed quia tali vestitu eum vsurum Angelus prædixerit; hinc vt Angeli prædictionem veram redderet, talem habitum elegisse.* Sed vbi, obsecro, hæc de tali amictu, qualis ab Euangelistis describitur, prædictio? Legatur primum caput S. Lucæ; in eo nihil, quod Prædicantis mendacium stabiliat, occurrit; nisi fortè mentiendi occasionem sumpsit ex illis Angeli verbis. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ.* At quis in admirationem non rapiatur, si hæc Angeli verba Præconi idem significant, quod illa apud S. Matthæum. *Ipse autem Ioannes habebat (*habebit*) vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos; Esca autem eius erat (*erit*) locustæ & mel syluestre.* Sed de vestitu S. Ioannis consulantur Euangeliorum Interpretes, & Petrus Canisius in proprio opere de Baptista. *Ioannes bibebat aquam,* inquit Lutherus in cap. 1. Ioan. Tom. 2. Nouorum Operum, *nec vtebatur alio cibo, quàm locustis & melle syluestri; coctos cibos non edebat; nec lineum ferebat indusium, nec laneam vestem, carebatq; calceis.* Gieng seltzam einher. Si Luthero hoc suo schemate Baptista in solitudine occurrisset; signo crucis sese è vestigio consignasset, non secus ac olim S. Antonius, cum vt est apud S. Hieronymum in vita S. Pauli iter per vastissimum desertum faciens, in Satyrum incidisset.

Thes. 334.

Matth. 3.

Obiicit Præco: *Sunt qui dicant, Baptistam sine originis labe*

Thes. 334.

tatem matrimonialem lapſus.) *Quid mihi virginitate opus eſt, quando experior, eam mihi non ſuppetere, neq; Deum peculiariter ad eam me vocare; cum tamen ſciam me ad matrimonium procreatum eſſe.* Hæc Lutherus ſeueriſſimus Hypopiaſta; qui caſtitatē pro impoſſibili habuit; Nam illud impoſſibile rectè cenſetur, quod lege Dei ordinaria & conſueta non eſt poſſibile. Sed caſtitas, lege Dei ordinaria & conſueta, non eſt poſſibilis, quandoquidē non aliter poſſibilis eſt, quàm vita omnis cibi & potus expers; neque aliter à Deo obtinetur; niſi vt donum abſque cibo & potu viuendi, prout Lutherus palam, remoto omni velo, affirmat. Cuius Epicurea & Sardanapalica veſtigia diſcipuli eius gnauiter affectantur, ex quorum numero eſt, Auctor, qui ſe vocat Simonem Reuters von Schlaitz/ in Quæſtione Epiſcopis propoſita, cur non patiantur Sacerdotes, Monachos & alios, vxores ducere, ita ſcribit. Reuſchheit halten (acht ich) iſt alſo gemein/ wie Muckengehirn/ da gilt ein Pfund in der Apotecken dreyhundert Guldin. *Caſtitatem ſeruare arbitror tam commune, ac culicum cerebra, quorum vna libra 300. florenis in Pharmacopolio venditur.* Num erit quiſpiam, qui hæc talia conſiderans, miretur, ab iſtis caſtigationem corporis per verbera, & hypopiaſmos Paulinos maledictis ac conuiciis proſcindi? Vtar verbis S. Athanaſij ad Serapionem. *Quis hoc audiens Chriſtianus iam non magis paganos eos iudicat? Nam talia pagani aduerſum nos dicunt inter ſeſe confabulantes. Quis volet ad talem iſtorum inſaniam reſpondere?*

An nondum ſatis audiſti, Gripe, de tui Choerandri hypopiaſmis? An vis, vt & hæc addam ex Tractatulo contra deprauatores & falſatores Cæſarei Edicti. *Bone Deus, an non tandem intelligemus, votum impoſſibile, non eſſe*

Tom. 2. Ihen. Germ.

votum,

votum, nec obseruandum. Quis vouere volatum, instar auis, votumq; obseruare potest, nisi Deus cum miraculis suis praesto sit? Atqui tantundem est, cum vir aut mulier castitatem vouet; quia ad castitatem non sunt creati; sed ad illud; crescite & multiplicamini. Quia castitas est res impossibilis, vbi Deus miraculum nullum patrat. Nec valet votum miraculo innixum, quod in potestate mea non est situm. Quapropter stultè egi, nec obligor tale votum seruare, neq; Deus illud à me requirit. Hæc Lutherus, & cum illo asseclæ, præsertim Prædicantes, qui quamdiu hoc sunt animo, aliter in Disciplinas & corporis per verbera ὑπωπιασμὸς, affecti esse nequeunt, quàm modò sunt, hoc est, vt canes in clauam, histricis pelle, setis ac telis exasperatam.

Sed quia Lutherus suprà, D. Hieronymum; & alibi tam hunc, quam S. Augustinum, aliosque sanctos traducit, quod fateantur, se tentationes passos, & cum carne perpetim luctatos esse, monere placet nihil culpæ aut reprehensionis apud Deum vel homines contrahi ex eo, quod quis inuitus patitur; sed potius hinc coronam in cœlo augeri. *Multa iustus aduersa in anima patitur instigatione Dæmonum,* inquit Isidorus, *sed talibus tentamentis perire vita æterna non potest. quia, pius Dominus ad damnationem culpæ non reputat, quod de sua maiestatis permissu nolens, qui patitur, portat. Nam ibi peccamus, vbi cupiditate, vel voluntate deflectimus. Vbi verò violenter addicimur, etsi facinus, aut flagitium non est; miseria tamen pro flagitio, & facinore est. Sed, qui Deum pro irrogata laudat miseria, commisso procul dubio caret facinore.* *Isid. lib. 3. sent. cap. 6.*

Idem Isidorus: *Nonnunquam etiam electorum mentes horrendis imaginibus somniorum spiritus immundi terrificare conantur: & quos vigilantes vitiis tentant, nec superant, acriter dormientes impugnant. Sancti autem etsi ad momen-* *Cap. 6.*

tum huiusmodi visionibus commoueantur: mox tamen euigilantes illusionũ vanitates despiciunt, intentionemq́ suã protinus ad Deum conuertunt. At certum esse debet; *non esse peccatum, quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur: sed tunc esse peccatum, si antequam illudamur, cogitationum affectibus praeueniamur. Luxuriæ quippe imagines, quas in veritate gessimus, sæpe dormientibus in animo apparent, sed innoxiè, si non concupiscendo occurrant.* Hæc contra impudentiam Lutheri annotasse, & obseruasse profuerit; Ex quo quærendum est, an nulli coniugati tentationibus & illusionibus tam diurnis, quàm nocturnis sint obnoxij? Vix puto vllum fore tam effrontem quinti
Thes. 377. Euangelij Præconem; qui sit affirmaturus. Sed reuisamus ad Zeæmannum, qui mentitur, *Gretserum non potuisse producere vllum scriptorem, qui locum illum, ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, ad flagellationem proprij corporis retulerit.* Et tamen citaui, teipso teste, Paulinum, Theophylactum, Irenæum; & Chrysostomum, quem tu non nominas; attamen ego auctoritate eius fui vsus. *At isti non faciunt mentionem flagellationis.* Quid tum? At dicunt, Paulum corpus proprium liuidum reddidisse & sugillasse, quod aliter fieri non potuit, nisi percussione, verberatione & contusione; quam si flagellationem appellare nolis, omittas licet, non mouebimus tibi litem de nomine.

Pòst profert Præco varios Patres, Ambrosium, Chrysostomum, Theophylactum, Hieronymum, Augustinum, Primasium, Gregorium Magnum, Macarium, Antonium Magnum Abbatem, Saluianum, Maximũ, Hugonem, Aquinatem, Liranum. quorum alij locũ hunc exponunt de ieiunio & abstinentia; alij de laboribus, lucta & pugna aduersus carnem & Dæmonẽ. Quid hæc omnia ad rem? An non palã fassus sum, Apostoli locum etiam

etiam de ieiunij & abstinentiæ hypopiasmo capi posse; saluo tamen proprio & principali sensu, qui est de contusione corporis vsque ad liuorem & hypopia? Deinde, patres, locum Paulinum generatim de corporis castigatione & lucta cum carne & sanguine interpretantes, non excludunt corporis per verbera mulctam, quia & hæc vtique corporis coërcitio, est corporis castigatio, & pars illius pugnę, quæ nobis vsque & vsque cum carne est depugnanda.

Deliramentum illud: *Qui bonum certamen certat, fidem seruat, esurit & sitit, carceribus & plagis supra modum afficitur, ille seipsum flagellat: Paulus illa omnia fecit & perpessus est. Ergo.* tu tibi serua, tanquam cerebri tui fœtidum fœtum. Absque riuali seruabis. Mihi quidem nec somnianti vnquam obiectum est, quanto minus vigilanti? Itaque cum illud destruis ac demoliris, imitari mihi videris truculentam illorum animalium sæuitiam, quæ fœtus suos, nisi maturè subtrahantur, deuorant. Thes. 382.

Pro clausula huius loci Paulini prætermittere nequeo, quo minus Prędicantibus ex Aristotelica apotheca præscribam pharmaca depellendis hypopiis, si quando ea per hypopiasmos suos contraxissent, ex quibus sunt recens detractæ brutorum pelles, arietum præsertim, & oua superconfracta. Nam vt Aristoteles docet sect. 9. probl. 1. μώλωπας κωλύει τὰ νεόδαρτα δέρματα περιτιθέμενα, καὶ μάλιστα κριῶν (forsan aptiora fuerint ob cognationem & affinitatem tragica δέρματα) καὶ ᾠὰ ἐπικαταγνύμενα. Eadem mens Galeno, vt docet Septalius. Caussas pharmaci huius exponit Aristoteles, quem quilibet Prædicantium per otium consulat.

His remediis adde *as, seu æreum scyphum, raphanum, fabam commansam, argillā, pulmonem & thapsiam* ex Aristo-

tele Problemat. 6. 9.10.& 12. Si forsan hæc Aristotelica medicamina nihil opis afferent hypopiis Prædicanticis, caussa erit, quod sint alterius speciei & sortis, quibus proinde ex Fracastorij pharmacopolio antidotum petere poterunt.

Quia verò versamur circa hunc Apostoli locum; ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, æquitas postulat; vt Volcium, ad S. Annam Augustæ, Prædicantem, virum innocentissimum, à culpa solœcismi Græcanici absoluam, liberumque pronunciem. Dixerat sua in concione, τὸ ὑπωπιάζω formari ἀπὸ τῆς ὠπός. Monueram in Virgidemia, obiter obseruandum esse solœcismum ex Hellade à Volcio allatum. Accurrit Volcianus filius, & patrem ab hoc probro liberat; meque ex ipsa mea Grammatica conuenit, in qua ὁ ὤψ, τοῦ ὠπός. Vtinam Volcius pari facilitate à lœdoriis & pseudologiis quas effudit, expediri posset. Do manum, quandoquidem pleraq; Lexica, & mea itidem Grammatica, voculam hãc masculini generis statuunt. Etsi non desunt, qui fœminino insigniant; inprimis ipse Lexicographorum præcipuus Stephanus, quem in Virgidemia secutus fuerã. Nam in eo Stephani loco mendum typographicum inesse, haud crediderim, cum alia itidem Lexica idem genus eidem voci præfigant. Monui autẽ lib. 1. de Discipl à nonnullis scribi ὑποπιάζω per ο μικρόν, ἀπὸ τῆς ὀπὸς à recto ὄψ, quæ dictio non modò vocem, sed & oculum atq; adeo idem quod ὁ ὤψ interdum significat. Varinus ex Hesychio

ὄψ, ὄψις, ὀφθαλμός, ἡ φωνή.

CAPVT

CAPVT V.

Propugnatio capitis sexti Apologetici.

ARGVMENTVM ab vsu ciliciorum non aliter soluit gener quàm socer: Nimirum, aliud esse cilicium seu saccum; aliud, disciplinam: & vt hoc, quod nemo nescit, ostendat, varias differentias *ex materia, à caussa efficiente, & ab effectu* adducit: quasi hoc agatur; non magis illud: num efficax sit hoc argumentum. *Licuit olim carnem affligere per cilicia: ergo idem licitum est per flagella & disciplinas:* nam si ideo à cilicio ad disciplinas nefas est argumentari, quòd cilicium sit alia quædam res, quàm disciplina; tum necesse erit, vt Præco omnes parabolicas Christi & Apostolorum argumentationes ex Bibliis eradat: vel scholiis suis Prædicanticis illustret. Postquam Christus Lucæ 8. commemorauerat parabolam, de homine, qui *exiit seminare semen suum*, subiecit deinceps: *Semen est verbum Dei.* Hic Præco occlamabit. *ingentem cerni inter semen & verbum Dei differentiam tam quoad materiam, quàm quoad caussam efficientem & finalem: fieri non posse, vt semen sit verbum Dei, vel vice versa; verbum Dei, semen.* Idem occinet S. Paulo in epistola ad Corinthios, à seminis in terram iactu, & ab eiusdem viuificatione & quasi resuscitatione ad corporum nostrorum resurrectionem argumentanti: nam corpus nostrum non est semen, nec semen, corpus humanum: granum enim tritici, verbi gratia, & corpus Gripi immane quantum differunt. Verùm vt hîc & in aliis huius generis rebus sufficit similitudo quædam & proportio inter rem, à qua probatio ducitur, & inter illam ad quam ducitur, sic & in nostro proposito non oportet, vt cilicium & disciplina (idemq; intel-

Thes. 321.

intellectum volo de cinere, ieiunio, & similibus corporis afflictationibus) sint idem prorsus materia & efficiente; satis est similitudo inter vtraq; & eiusdem effectus siue omnimoda, siue aliqualis similitudo, quæ certè hîc reperitur; nam & cilicium & disciplina carnem affligit & macerat. Et vtriusque finis est carnis domatio & prauarum appetitionum compressio.

Nam quòd Præco obiicit; *cilicium non elicere sanguinem, vt facit disciplina*; id vt ita esset; an ideo verum non esset, cilicium affligere carnem? An ideo cilicium cum disciplina in generali saltem afflictionis & macerationis inferendę conceptu non conueniret? Num corporis afflictatio in eo solùm consistit, vt aliquid sanguinis fundatur? In ieiunio nihil sanguinis profunditur; & tamen si Prædicans non credit ieiunio corpus affligi; in rem præsentem veniat, periculum faciat, & forsan non grauatè de sententia sua decedet.

Adhæc necesse non est, vt in omni corporis per flagella castigatione sanguis eliciatur; imò fieri potest, vt quis acerrimè dorsum pulset, nec tamen vel guttam sanguinis emittat. Adde, cruciatum cilicij, præsertim asperioris & hirsutioris tantum esse, vt multi malint ictibus, quantumuis acribus, tergum supponere; quàm cilicio corpus amicire. Præterea, si nosse cupit Præco, num cilicium gestatum in corpore μώλωπας seu vibices excitet; & cutem quoque dissecet ac exulceret; ad experientiam progrediatur, & cilicino thorace corpus suum vestiat, vel saltem lumbos suos rigidiore zona cilicina cingat & stringat; Forsan discet, quod nunc ignorat, saltem practicè; nam quin alioqui sciat hunc esse ciliciorum diutius corporibus adhærescentium effectum, vix dubitare me sinunt tot Sanctorum, qui ciliciis corpora

pora castigarunt, exempla; quæ Præco in libris meis legit.

Admodum ingeniosè nugatur de cilicio & sacco, & vtriusque vsu & materia: nec aliud deesse video, quàm vt doceret, eadem cilicia posse etiam ex hircinis Prædicantium barbitiis texi: quæ forsan Lutherani, præsertim mulierculæ, libentius ferent, quàm illa, quæ ex pilis hircorum Cilicum, vel camelorum, vel equorum fiunt. Thes. 323.

Neq; illud sciuimus antea; saccum fuisse etiam mœroris & luctus argumentum; nullum hac de re Gretserus in suis libris verbum. Magnę gratię Zeæmanno, pro tam reconditarum rerum benigna reseratione. Illud insuper nemo ad hunc vsque diem nouerat; *saccos non semper ad nudam carnem; sed interdum etiam super alias vestes indutos in concepti mœroris indicium.* Nunc hoc Zeæmanno docente didicimus, cui proinde, vt nos multum obstrictos profiteamur; æquum est. Sed num arbitratur Præco cilicium seu saccum nunquam nudo corpori admotum & iniectum? Nimis profectò spissa esset hæc phantasia; & [illegible]nti soceri genero nimis indecora: quã vel exemplum Iorami cilicium ad nudam carnem gestantis eximere debebat. Si autem Præco existimat cilicium setis horridum absque doloris sensu posse ferri, quando carnem tangit; nil aliud iterum cupio, quàm vt Gripus ad experimentum capiendum descendat. Habent quidem Prædicantes triplicem pellem; sed ne dubites, ad tertiam quoque penetrabit cilicij efficacitas. Quæ autem sint hæ tres Prædicantium pelles, docebit te tuus in Lutheri castris cõmilito Ioannes Agricola in Prouerbiis Germanicis fol. 236. edit. Hagenavvensis anno M. D. XXXVII. nam quæcunque ibi scribit, longè concinnius in Prædicantes competunt, quàm in mulieres.

Mentitur Prædicans, *in veteri Testamento cilicia aut saccos nunquam in vsu fuisse cum opinione cultus Dei & meriti:* nam hanc stoliditatem vel vnicum Niniuitarum exemplum refellit; cur enim cilicia & saccos induerunt, nisi vt apud Deum mererentur remissionem eius pœnæ, quam ciuitati illi amplissimæ, & omnibus eius incolis comminatus fuerat? Si induere saccum seu cilicium nullius est meriti, cur Dauid gemino, eoque grauissimo scelere obstrictus, carnem suam cilicio affligebat? cur lacrymis stratum suum rigabat? cur in cinere volutabatur? An non omnia hæc eò referebat, vt iratum Deum sibi placaret, & in eum dignationis locum recipi mereretur, de quo exciderat? Deinde, quid est colere Deum, nisi aliquid ad laudem & gloriam diuinæ maiestatis amplificandam facere? At quis tam stupidus est, qui non videat, Dauidem, & alios veteris Testamenti; cilicia, & id genus alia pœnitentiæ opera ad gloriam Dei, tanquam ad vltimam metam direxisse ac destinasse; verè ergo per
Thes. 328. 332. hæc exercitia Deo cultum & obsequium præstiterunt. Et hunc cultum à Deo damnari Isaiæ 58. solenne est Prædicantis & gregalium mendacium, millies decantatum; nunquam ne verbulo quidem probatum.

Thes. 329. Nec minus mendaciū est *mihi minus probari disciplinas absq; sanguinis effusione factas*; Fac, ô Prædicans, disciplinam sine sanguine. Vide, an non factum tuum sim valde commendaturus, imò etiam non modicis laudibus celebraturus.

Dixeram, vestes cilicinas non æstimari à Deo, nisi cum interna cordis humilitate & contritione coniunctas. *Cur ergo,* obiicit Præco, *impiorum hypocritarum, imò & Ethnicorum exempla attulit?* Hypocritarum exempla me adducere non memini. Achabi cilicium memoraui

3. Reg.

3.Reg.21. & Iorami, 4.Reg.6. Et illius quidem factum non fuisse hypocriticum, qualiscunque ille demum fuerit; inde planum relinquitur, quia Deus ipse id sibi vsq; adeo placuisse disertissimis verbis testatus est, vt Achabo parcendum, & iustissimam scelerum ab ipso patratorum vindictam vsque ad filij successoris regnum differre voluerit. Nec Iorami cilicium Deo displicuisse; declarauit inopinatissimus arctissimæ obsidionis euentus. Lege Abulensem in cap.21. lib.3. & in cap.6. lib.4. Regum.

Idem de Niniuitis dictum esto. Impij fuerant, sed ad prædicationem Ionæ pœnitentiam in cilicio & cinere Deo gratam acceptamque egerunt, vnde exitium iam iam vrbi impendens; Deus tanta pœnitentia placatus, clementer ab illis auertit.

Saccos Syrorum & funiculos in capitibus 3.Reg.20. non attuli; vt ostenderem, Syros à fide vera auersos, illo ritu & submissionis argumento Deum placare voluisse; *Thes.331.* vt mentitur Præco, quia iram Dei, quem non agnoscebant, susque deque habebant; sed vt probarem; tantam vim in hoc humilitatis genere inesse, vt illud etiam hostes ad hostium suorum iram mitigandam adhibere voluerint. postea hæc subiunxi: Si impij isti per saccos & *Lib.1.de Disciplin.cap.6.* funiculos, capitibus impositos, mentem impij Regis ad clementiam & misericordiam inflexerunt, quis dubitet, superni Regis animum ad lenitatem mox sese inclinaturum, quando peccator misericordiam exposcens, ad thronum eius cilicio cinctus accedit, &c. Item, si funiculi placarunt homines, mirum ni etiam Deum placarent, quippe abiectionis & humilitatis signa. Vbi nequaquam dixi, ipsam per se saccorum vel funiculorum, vsurpationem & ceremoniam valere placando Deo; sed

vt ex animo *contrito* & *humiliato* verè proficiſcuntur. Poteſt quidem homo iratus placari hoc ritu abſque vera & interna placare conantis pœnitentia, & dolore de malè commiſſis, ſed alia ratio Dei eſt, qui cor intuetur, neque opera externa alicuius pretij æſtimat, niſi vt ex corde verè dolente manant. Quanquam & apud homines oportet; vt qui alterius indignationem à ſe amoliri cupit, ſaltem externa pœnitentiæ & doloris ſigna præſeferat, & palam edat.

Mentitur iterum, Præco, cum ſcribit; *me vim flagellationis, non æſtimare ex animi pietate; ſed ex doloris corporalis vehementia:* Hoc nullus ex verbis meis colliget, niſi impoſtor, quiduis in mentiendi & calumniandi materiem conuertere promptus. Nec ex his meis verbis; quę oggerit Præco: *Quicunque hoc caſtigationis genere* (per cilicia) *vſi ſunt, ij eo vſi ſunt, tanquam medio ad iram Dei placandam appoſitiſsimo, ex ipſo naturæ inſtinctu, vt in Niniuitis apparet*; ſupra dictum Prædicantis mendacium colligitur; quaſi in ipſo opere, interna cordis pœnitentia & pietate deſtituto vim cœleſtis iræ placandæ; ineſſe affirmauerim; ſed hoc aſſerui, & etiamnum aſſero; eos, qui ſeriò, piè & *animitus* olim ſcelerum ſuorum pœnitentia & deteſtatione tangebantur; ex naturæ inſtinctu confugiſſe ad cilicium, tanquam ad medium accommodatiſſimum, quo & dolorem cordis ſui teſtarentur, & miſericordiam diuinam obtinerent. Nam cur Niniuitæ ad cilicia, ſaccos & cineres confugerunt? Num ex præcepto aliquo Moſaico? At vbi illud? Et vt exſtitiſſet, quid præceptum Moſis ad Niniuitas extra Moſaicam ſynagogam viuentes? Cur Dauid, cur alij flagella cœlitus inflicta vel infligēda ciliciis & ſaccis auertere properarunt, niſi quia ipſa naturalis ratio docet hoc humilitatis argumentum

& corporis castigandi instrumentum Deo propitiando perquam appositum esse; si animo pio, & male commissorum seriò pœnitente vsurpetur?

Vestimenta S. Ioannis Baptistæ mutaret iste libenter in mollia, tenera, & delicata, more quorundam suorum sodalium, sed apertè non audet. Itaque occultè rem gerit; vociferans; *Ioannem talia indumenta non gestasse, vt corpus castigaret, sed quia tali vestitu eum vsurum Angelus prædixerit; hinc vt Angeli prædictionem veram redderet, talem habitum elegisse.* Sed vbi, obsecro, hæc de tali amictu, qualis ab Euangelistis describitur, prædictio? Legatur primum caput S. Lucæ; in eo nihil, quod Prædicantis mendacium stabiliat, occurrit; nisi fortè mentiendi occasionem sumpsit ex illis Angeli verbis. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ.* At quis in admirationem non rapiatur, si hæc Angeli verba Præconi idem significant, quod illa apud S. Matthæum. *Ipse autem Ioannes habebat* (habebit) *vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos; Esca autem eius erat* (erit) *locustæ & mel syluestre.* Sed de vestitu S. Ioannis consulantur Euangeliorum Interpretes, & Petrus Canisius in proprio opere de Baptista. *Ioannes bibebat aquam*, inquit Lutherus in cap. 1. Ioan. Tom. 2. Nouorum Operum, *nec vtebatur alio cibo, quàm locustis & melle syluestri; coctos cibos non edebat; nec lineum ferebat indusium, nec laneam vestem, carebatq; calceis.* Gieng seltzam einher. Si Luthero hoc suo schemate Baptista in solitudine occurrisset; signo crucis sese è vestigio consignasset, non secus ac olim S. Antonius, cum vt est apud S. Hieronymum in vita S. Pauli iter per vastissimum desertum faciens, in Satyrum incidisset.

Thes. 334.

Matth. 3.

Obiicit Præco: *Sunt qui dicant, Baptistam sine originis* Thes. 334.

labe fuisse natum, omniq; næuo & labe peccati caruisse: Citatque, Petrum Damianum, & Tilmannum Smeling: additque: *Et alij*. In margine apparet hoc monitum. *Vide Bellarm. lib. 4. de amiss. gratiæ & stat. pecc. cap. 15. Hoc si ita est, ecquid cilicio ad carnē edomandā opus fuit?* Si Præco iste nō esset impostor, sententiam nostram, imò ipsius scripturæ, clarè proposuisset, his nimirum verbis, quibus Damianus vtitur, vel similibus: *Cum omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Hieremiam & Ioannem Baptistam; quanquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas*, &c. Sentiunt ergo Catholici, Ioannem Baptistam in vtero materno adhuc versantem, sanctificatum & à labe originis expurgatum fuisse; quod Angelus fore prædixit. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* At Præco ita rem proponit, quasi Damianus & alij velint, *Ioannem Baptistam non fuisse in peccato originali conceptum*. Nam per vocabulum *Natus*, *conceptionem* accipit; aut certè scripturis manifestè contradicit, cum id, tanquam paradoxum & absurdum, nobis obiicit, quod sacræ litteræ tam luculenter tradunt; quodque ipsemet affirmare cogitur, quidquid demum de remissione peccati originalis ex Lutheranæ scholæ doctrina statuat; neque enim inficiabitur, opinor, Ioannem Baptistam in vtero materno sanctificatum fuisse; Etiamsi sanctificationis nomine; non veram & realem, sed *imputatiuam* illam & fanaticam Lutheranam intelligat: Et per non imputationem peccati originalis remissionem obtinuisse. Non placent Prædicanti primorum parentum perizomata ficulnea: Magis probat pellicea pro pelle sua. Minus arridet, quod S. Patres dicunt, folia illa asperiuscula, fuisse pœnitentiæ pro pecca-

Thes. 335.

to ad-

ro admisso documentum. At si hoc Prædicantis stomacho iniucundum accidit, non mihi, sed Irenæo, & aliis sanctis Patribus, dic dicta, litem intendat. Ego enim, quid Irenæus senserit & docuerit, retuli. Quæ mea culpa, si sententia Irenæi huic Præconi nauseam moueat, cum sit eius discipulus, qui & monialem incestare, & sacrilegium suum palam quoque prædicare non erubuit. Cum alibi passim, tum Tomo primo Nouorum Operum in scripto de cuiusdam matrimonio fol. 268. edit. Eisleb. M. DCIII. *Etiam ego monialem mihi connubio iunxi.* (Egregia laus committere facinus, quod leges ciuiles capitis pœna vindicant.) *Quamuis carere potuissem.* (Cur ergo alibi huius rei tantam statuis necessitatem, quantam cibi & potus?) *nec peculiares aliquæ caussæ suppetebant, nisi quod hoc in contemptum Diaboli & omnium squamarum eius, summatum, Principum & Episcoporum feci; qui confestim vertuntur in furorem, quando audiunt religiosas personas debere esse liberas, & ab omni obligatione solutas.* Hæc Lutherus.

Qui etiam in Responso ad articulos de votis Monasticis eidem Tomo insertos asperrimum & vel histricis pelle hirsutius cilicium pro carnis castigatione præscribit; nempe, vt quis vxorem ducat; & rei familiaris curam suscipiat. Das einem der Kützel wol vergehet / inquit Lutherus. *In Monasteriis otiosi sedent, & se dies noctesq; malis cogitationibus conficiunt, rati se laneo panno aut indusio castos fore. Vita Monastica est vita iners, secura, otiosa, & tamen gloriantur de corporis castigatione. Ipse eandem vitam æquè ac quiuis alius expertus sum.* Gute Tage vnnd nicht das Heilige behelt im Kloster / daß man der Haut förcht / vnd wil sich schmucken mit der Schrifft. *Dies geniales, non sanctitatis cupido, retinet eos in Monasterio,*

rio, qui timent sua cuticula, & se scriptura dictis comunt. Profecto, si vita Monastica talis esset, qualis à Luthero describitur, nunquam cucullum exuisset; sed professioni suæ ad extremum vsque halitum constanter adhæsisset. Si autem in Monasteriis ita otiosè, quietè, & ab omni molestia remotè, & non nisi inter rosas & violas viuitur, cur alibi scripsit Lutherus, se in Monasterio egisse vitam adeo duram & rigidam, vt nisi destitisset, animam exhalaturus fuisset; cuiusmodi loca non pauca in Vapulante protuli.

Cur etiam in caput primum Epistolæ ad Galatas hæc de austerissima sua vita litteris prodidit? *Ego ante lucem Euangelij piè sensi, & Zelaui pro Papisticis legibus, & Patrum traditionibus, easq; magno serio, vt sanctas, & earum obseruationem, tanquam necessariam ad salutem, vrsi, & defendi. Deinde, ego ipse, qua potui diligentia, conatus sum eas præstare, plus inedia, vigiliis, orationibus, & aliis exercitiis corpus macerans, quàm omnes illi, qui hodie tam acerbè oderunt, & persequuntur me, quod eis nunc gloriam iustificandi detraho. Nam, in iis obseruandis, tam diligens, & superstitiosus eram, vt plus oneris imponerem corpori, quàm, vt sine periculo sanitatis ferre poterat. Purè adoraui Papam, non quærens præbendas, dignitates, &c. Sed quidquid feci ex simplici corde, bono zelo, & ad gloriam Dei feci, &c. Sed, quæ mihi erant lucra, ea cũ Paulo arbitror nunc esse damnũ propter excellentiam cognitionis Christi IESV Domini mei*; hoc est, propter Catharinam Pornam. Quam seuerus sanctus fuit Lutherus in Ordine Monastico; in quo si perstitisset, proculdubio iam ἀποθέωσιν, siue canonizationẽ obtinuisset. Quid enim tanta abstinentia, tantus rigor, & corporis affligendi ardor non obtineat? Sed insusurrat mihi nescio quis versiculum vulgarem, at oppido veracem:

Vrit

Vrit maturè, quod vult vrtica manere.

Non tantùm extra, sed & intra cucullā Lutherus aqualiculum pro altari, in quo perlitaret, habuit: qui cilicium, disciplinas, & cætera huius sortis amare non potest; quia sunt opera carnis, imo ipsa caro. Quid verò alienius ab homine spirituali, qualis Lutherus, & filij eius Prædicantes; quam vt opera carnis, carnemque ac sanguinem amet? Absit hoc tantum flagitium à tantis Euangelistis. *Ordines Francisci*, inquit Lutherus, *Benedicti & Carthusianorū, &c. regnū Dei nō vident, nec ad illud perueniunt. Qua de causa? Quia sunt caro. Certè spiritus est quid lōgè diuersum. Experientia docet multos nebulones sub cappis & plattis*, hoc est, sub habitu & tonsura monastica, *delitescere. Si ordines isti Spiritus & spiritales essent, nullus flagitiosus eorū operimento sese velare posset.* Luth. in concione Dom. Triniт. habita. Tom. 1. Nouorum Operum. Cum ergo Ordines Monastici, & quidquid in illis vsurpatur, hoc est, omnia cilicia, ieiunia, disciplinæ, ad carnem pertineant, non ad spiritum; fieri non potuit, quin Luthero *τῷ μαλακωτάτῳ ἀνδρὶ* summopere displicerent. Quis enim minus carni indulsit, quàm Lutherus? Quis carnalibus desideriis in ciliciis ferendis, in ieiuniis suscipiendis, & in flagellis vsurpandis minus obsecutus est, quàm Lutherus, saltem postquam frontem cum veste religiosa exuit, quidquid sit de antegresso tempore? Porro, si vt Lutherus mentitur, habitus Monasticus *caro* est, non *spiritus*, eam ob caussam, quòd sub illo impostores latere queunt; sequitur habitum quoque *Prædicanticum* esse *carnem*, non *spiritum*, quia hoc schemate nequissimi quique lupi & seductores sese occulunt. Imò ipsum Euangelium, siue Euangelica professio carni & sanguini accensenda erit; quandoquidem sub huius velo omnes hæretici se & sua venditant. Quis verò Catholicorum vnquam sensit aut

docuit, ipsa vestimenta & insignia religiosæ vitæ per se præcisè spectata, sanctimoniam conferre ? Cuius ore tritum non est iam olim hoc dictum: *Habitus & tonsura non faciunt Monachum?* Quis nescit hæc externa symbola omnem suam vim ab interna animi constitutione mutuari debere ? Et tamen Lutherus & Prædicantes perpetim clamitant; *nos istis*, vt & ciliciis ac Disciplinis, *vim sanctificandi concedere absq; vllo pietatis sensu & pœnitentiæ dolore.* Quod si suo nomine appellandum sit, nil aliud est, quàm pingue quoddam & grande mendacium.

CAPVT VI.

Vindicatur à criminationibus Prædicanticis caput septimum Vapulantis.

DE cineribus & ieiuniis à quibus itidem argumentum ad verberationem proprij corporis duxi, tam peritè disputat Zeæmannus quàm de ciliciis. Obiicit: *cineres non esse disciplinas. Cineres materiâ, formâ & efficiente à Disciplinis differre.* Idem dicit de ieiunio; quis enim tam hebes est, qui non intelligat quanto discrimine distent ieiunium & flagellatio carnis per Disciplinæ instrumentum ? Paucis respondeo; etiam semen, hoc est, granum frumenti; tritici puta, hordei, auenæ; non est vniuocè verbum Dei; quia verbum Dei & granum frumenti æquè, & fortè plus, discrepant, quàm cineres & Disciplina: vel cinerũ aspersio, & corporis diuerberatio. Et tamen à semine, hoc est, à granis frumenti, ducit Christus Lucæ 8. & alibi, argumentationem ad declarandam & auditoribus ob oculos ponendam vim & efficacitatem verbi Dei;

Dei; quia vt hoc legitimè fiat, sufficit similitudo & proportio quædam inter semen & verbum Dei. Eadem est ratio in nostro proposito de cinere, ieiuniis & disciplinis; quia conueniunt in hoc, quòd sunt pœnitentiæ argumenta, corpori dolorem & cruciatum quoque adferentia, præsertim ieiunia & verbera. Si igitur cineris aspersio & ieiunia Deo fuêre olim acceptissima, cur non & corporis castigatio per disciplinas?

Mentitur Præco me dicere, *cineres & ieiunium per se, hoc est, absq; interna pietate & pœnitentia, esse cultus Dei, & quidem meritorios.* Nunquam hoc dixi, nunquam scripsi, nunquam sensi; quippe cui exploratissimum sit; externa hæc nullius ponderis esse, nisi ab internis vim ac valorem mutuentur. *Thes. 342.*

Declamitat postea Præco de ieiunio & in ieiunium; insulsè prorsus, hoc est, more Gastronis & Physconis, imò in *Papistica* quoque *ieiunia*, vt vocat, Prædicanticos dentes stringit; sed rabiosè, & scurriliter. Nec aliis armis oppugnat vsum suscipiẽdi cineres in exordio Quadragesimæ. Omnia homuncionem de triuio, nõ Theologum ab erudito pulpito olent. *Thes. 343.*

Vtrum Iudæorum cineres & ieiunia, Deo fuerint gratiora, quàm nostra; nec in libris de disciplinis, nec in Vapulante, nec alibi definij. Oggrunnit Præco; *hoc necessariò sequi ex mea hypothesi; nam huiusmodi afflictationes Deo esse gratiores, quo sunt acriores & productiores, ipso Gretsero teste; sed constare Iudæorum ieiunia longè fuisse acriora, quam Christianorum.* Respondeo, etiamsi ex hoc capite Iudæorum ieiunia fuissent Deo gratiora, an ideo simpliciter fuissent gratiora? An nescis fieri posse, vt aliquid vno respectu alteri præferatur; & alio; atq; adeo absolutè loquendo, postponatur, si nimirum illud alte-

rum secundum omnes suas conditiones consideretur? Qui magnam pecuniæ summam in gazophylacium cōiiciebant; opus proculdubio acceptius Deo faciebant, hac saltē ex parte; quàm mulier illa, quę duo tantū minuta in gazophylacium misit. Nihilominus si hæc duo minuta non seorsim, sed cum omnibus aliis circumstantiis intueamur, Deo longè gratius opus mulier illa fecit, quàm cæteri; ipso Redemptore nostro iudice; qui factum huius fæminæ reliquis omnibus antetulit. Eodem modo philosophandum est de ieiunio Iudæorum & Christianorum. Quanquā si & de productione Christiani ieiunij agatur, Iudaico nō sit inferius. Quot enim millia apud Christianos ieiunia non tantum à prima luce in vesperam, sed & in tertium, quartum, & quintum diem protraxerunt? Et olim Christianis ante crepusculum verspertinum ieiunium soluere nefas erat. Et hodie itidem notum est, quàm sanctè à plurimis ieiunia aut communi Ecclesiæ, aut particulari ordinis lege indicta obseruentur.

Luc. 21.

Et quid tu, Præco, de ieiunio garris, cui ieiunandi non maior cupido aut appetitio, quàm cani, qui ieiunat, quando non famet; aut quando quod rodat, nil reperit. Ita solent veteres & noui Aëriani, quorum hoc est axioma. ἀλλ' οὐδὲ νηστεία, φησὶν, ἔσται τεταγμένη. *Non erit statum fixumq́ue, ieiunium.* ταῦτα γὰρ Ἰουδαϊκά ἐστι, καὶ ὑπὸ ζυγὸν δουλείας. *Hæc enim Iudaica sunt, & ad iugum seruitutis spectant.* δικαίῳ γὰρ νόμος οὐ κεῖται: *iusto non est lex posita, &c.* εἰ γὰρ ὅλως βούλομαι νηστεύειν, ὁποίαν δ' ἂν αἱρήσομαι ἡμέραν ἀπ' ἐμαυτοῦ, νηστεύω διὰ τὴν ἐλευθερίαν. *Si enim ieiunare libeat, diem, qua mihi arriserit, eligam: & ieiunabo propter libertatem.*

An non audis ipsissimas sectariorum nostrorum

voces? qui non diffitentur, ieiunandum esse; sed liberè, arbitratu cuiuslibet. Sed quando tandem hoc arbitratu suo vtuntur? Arbitror tunc, cum nihil est, quod edant, vel cum ob crapulam nondum satis decoctam, morbumue; edendi nulla est cupido. Etiam canis ieiunare cupit, cum lubet. At quando lubet?

Aëriani tamen aliquos dies eligebant, quibus ieiunio operarentur. ὅθεν παρ' αὐτοῖς τὸ φιλοτίμηται μᾶλλον ἐν κυριακῇ νηστεύειν, τετράδα δὲ καὶ προσάββατον ἐσθίειν. πολλάκις δὲ καὶ τὴν τετράδα νηστεύουσιν, οὐχὶ θεσμῷ, ἀλλ' ἰδίᾳ προαιρέσει φησί. *Vnde potius Dominico die ieiunant; quarta autem & sexta feria comedunt. Quanquam sæpenumero & quarta feria ieiunant, non lege quapiam, sed libera voluntate ad hoc inducti.* In quo certè Lutheranos superant: neque enim arbitror esse apud illos, qui extra casum antegressæ vel mox secuturæ comessationis & crapulæ, vel aduersæ valetudinis, die Dominico ieiunet, etiam in contemptum Catholicorum, nam haud vsq; adeo sui sunt immemores, vt contemptionem suam in ritum die Dominico non ieiunandi, ieiunio testari velint; quia tantis flammis non incenduntur nostri zelotæ, quantis illi, quorum hæc erat solennis protestatio: *Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.* Act. 23. Nullus ad hunc vsque diem exstitit, qui palam hanc sibi legem diceret, se neq; manducaturum, neq; bibiturum, donec mos non ieiunandi die Dominico exterminaretur, & consuetudo ieiunandi in Quadragesima penitus ex orbe nostro relegaretur.

Subiungit S. Epiphanius multa de Catholicorum & Aërianorum ritibus & factis obseruatu dignissima. ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα, ὅτι παρ' ἡμῖν χαμευνίαι, ἁγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαι, εὐχαί, ἀγρυπνίαι τε καὶ νηστεῖαι, καὶ πᾶσαι τῶν ψυχῶν αἱ

σωτηρίαι τῶν ἁγίων παθῶν, αὐτοὶ ἀπίωθεν ὀψωνοῦσι κρέα τε καὶ οἶνον, ἑαυτῶν τὰς φλέβας γεμίζοντες, ἀνακαγχάζουσι, γελῶντες, χλευάζοντες τοὺς τὴν ἁγίαν ταύτην λατρείαν τῆς ἑβδομάδος τοῦ πάσχα ἐπιτελοῦντες. *Diebus paschæ* (hoc est, vt nos loquimur, Maiore hebdomade Quadragesimæ) *quando apud nos instituuntur humicubationes, expiationes, corporis afflictationes, xerophagia seu esus aridorum, precationes, vigilia, ieiunia, & omnis generis salutis adipiscendæ per varias perpeßiones modi, tunc isti summo mane tendunt obsonatum carnes & vinum, quibus venas suas distendentes, cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui huic exercitationi in hebdomade paschali sese dedunt.* An non vides hic expressam viuisque coloribus effictam imaginem Nouatorum nostri temporis? An nō & ipsi cum tota Quadragesima, tum potissimum sanctioribus eius diebus, vino & carnibus sese ingurgitant, omnesq; illos derident, qui quod tēporis sanctitas exigit, præstant: hoc est, eos, qui ieiuniis, ciliciis, ἁγνείαις, sordium animi per confessionem expiationibus, & disciplinarum'flagellis dant operā: quæ hîc à S. Epiphanio nomine τῶν κακοπαθειῶν nō comprehensa esse, nunquam euincent Prædicantes. Nam τῆς κακοπαθείας vocabulum generale est, & in omnes corporis castigationes atque macerationes quadrat. An nō & disciplina seu corporis flagellatio est κακοπάθεια, castigatio & afflictatio, & quidem licita ac honesta? Adeo certè vehemens κακοπάθεια est, vt Prædicantes eam vix ad aures admittant, tantum abest, vt ad dorsum. An non etiam flagellatio est τῶν ψυχῶν σωτηρία, *animarum salus*, cum peragatur διὰ τῶν ἁγίων παθῶν, *sancte patiendo?* nam à Catholicis πάσας τῶν ψυχῶν σωτηρίας διὰ τῶν ἁγίων παθῶν, *vniuersas rationes salutem animabus perpetiendo afferentes, susceptas esse*; testatur sanctus Epiphanius.

Sed

Sed magnas gratias debent Prædicantes Luthero, qui illis planiorem, expeditiorem & longè amœniorem viam ad superos monstrauit. Eh wir das glaubten (was Luther gelert) vnnd vmb sonst annemmen / so marterten wir vns lieber zu tode / giengen in eim gantzen Küriß zu S. Jacob. Et quando nam Lutherus abiit totus cataphractus in Gallœciam ad S. Iacobum? *Luther. colloq. Mens. Tit.* von Schwermern.

In Responso ad Articulos de votis Monasticis Tomo 1. Nouorum operum, *Caro*, inquit Lutherus, *mortificanda est per spiritum in fide* (Lutherana, non Catholica) *vt odio habeatur caro, cum vitiis & concupiscentiis suis.* (Quod à Luthero insigniter præstitum est, quando Monachus monialem duxit) *è vestigio accumulari debent labores, persecutiones, molestia, sollicitudines; de somno itidem detrahendum; ciboq́ ac potui vacandum temperanter, vt contingit iis, qui in matrimonio degunt, quibus neque noctu neque interdiu quies suppetit, propter liberos & familiam.* Tota ergo carnis mortificatio à Luthero præscripta huc redit, vt quis quamprimum de vxore circumspiciat; & laboribus, matrimonij comitibus, sese oneret. Hoc facto iam res in tuto erit; si tamē Lutherus & sibi & suis sycophanticè non imponit; vt reuera imponit; qui iterum in colloquiis symposiacis Tit. *de verbo Dei*, ita stultescit. Ist Christus da / wol gut / ist Christus nit da / so ist gewiß der Teufel da. Es sey gleich Kapp / Plat / Strick / härin Hembde / oder sonst grosse Heiligkeit / vnd Frombkeit / laß es wol für der Welt etwas sein / aber für Gott ist es eitel Grewel / wa Christus nit da ist. *Si Christus adest; bene est. Si non adest, pro certo Diabolus adest: etiamsi sit cappa, platta, funiculus, cilicium, aut alia eximia sanctitas & probitas: sit aliquid coram mundo, at coram Deo nihil est, nisi abominatio, si Christus non adsit.* Quis, præter te & tuos, docet Chri-

Christum abesse à *cappis, plattis, saccis, ciliciis, funiculis?* Scilicet Christus erit, vbi Lutherus cum sua Bortha, hoc est, scortator cum scortatrice, erit; & non erit, vbi opera & vestimenta pœnitentiæ ac humilitatis erunt?

Ferre nequit Zeæmannus, *quòd orthodoxi ciliciorum, disciplinarum, ieiuniorum, & similium bonorum operum mercedem à Deo exspectant:* quia homo nullius meriti, nullum hominis meritum apud Deum agnoscit. Et tamen agnoscere deberet, si elementa prima Lutheranismi cognita haberet; nam in libello quindecim *Fœderatorum*, cuius auctor videtur Huttenus, primitias Lutherani spiritus adeptus; Tertius fœderis socius inter cætera sic fatur an fatuatur? **Kein Mañ soll sich förchten oder schämen zu der Ehe nemen ein Nunnen auß dem Kloster / ꝛc. dann er thut ein heilsam löblich Werck vnnd Gott wirdt jhm lonen.** *Nullus timore aut pudore absterreri debet, quo minus Monialem ex Monasterio in matrimonium ducat; quia salutiferum & laudabile opus operatur, & Deus dabit illi mercedem.* En Monialem ducere in putatitiam vxorem, opus bonũ est, & mercedem apud Deum meretur; iudicio & testimonio huius Lutherani, qui spiritum quinti Euangelij ex ipsis Lutheri non Tomis, sed vberibus suxit; & opus bonum non erit, dignumque præmio coram Deo, corpus castigare ciliciis, disciplinis, ieiuniis?

CAPVT

CAPVT VII.

Afferuntur à Prædicanticis conuiciis & cauillationibus octauum & sequentia Apologetici capita vsque ad decimum tertium.

POSTQVAM Zeæmannus Thesi 390. & aliquot sequentibus stultissimè de ista propositione; *Omne illud castigationis genus, quod sancti vsurparunt, ex genere suo licitum est ac honestum;* nugatus fuerat; dentes Prædicanticos stringere incipit cum generatim, tum speciatim in Sanctos, qui per disciplinæ flagra, perque cilicia & id genus alias acerbitates in corpora sua animaduerterunt; totque fundit conuicia, probra, maledicta, & contumelias, vt satis appareat, quis mentem & calamum eius insederit ac direxerit, quando hæc talia Volusianis suis chartis illeuit.

Et quamuis absolutè satius esset Zeæmanni, Lutheri, & similium in Sanctos, pœnitentiæ & vitæ austeræ addictos, impia conuicia obliuione sempiterna obrui, & in abditis Orci recessibus sepeliri, interest tamen Catholicorum cum præsentium, tum futurorum hæc talia literis mandari; inde enim odium in sectarios, eorumq; placita & asserta concipiunt. Quis enim bonæ & sanæ mentis non execraretur illos, qui tot criminationibus & contumeliis debacchantur aduersus cœlites, quos Deus tot miraculis illustrauit & nobilitauit; & quorum sanctimoniam totus orthodoxus orbis perpetim prædicauit? Hoc indubiè consilio adducti prisci Patres, præsertim S. Irenæus, S. Epiphanius & S. Augustinus, turpissima dicta & facta veterum Hæreticorum in libros suos

retulerunt, & omnibus legenda proposuerũnt, rati illam ipsam tantorum scelerum & flagitiorũ replicationem ac percensionem, satis ansæ omnibus integri capitis hominibus præbituram, vt eos non sectarentur, sed toto pectore detestarentur. Qui solus & vnicus finis me mouet, vt crebrò & libenter ex Luthero, & aliis Prædicantibus contumeliosa, suilla & Sardanapalica, quæ effutiuerunt, pronunciata, excerpam, & lectori contemplanda offeram, cuius mentem ex animo meo metior: Ita enim affectus sum, vt licet nulla alia Lutheri & aliorum Nouatorum fugiendorum & auersandorum argumenta mihi suppeterent; sola tamen spurcidica eorum & carnalia effata, & in Sanctos immortali iam æuo in cœlis perfruentes iniuriosissima & calumniosissima dicta abunde mihi ad eos simul cum vniuersa sua doctrina detestandos sufficeret. Nunc igitur hymnos, quos Zeæmannus Sanctis canit, audiamus.

Thes. 396. & seqq. Intonat ergo à magistro suo Diabolo impulsus. I. *Sanctos Suiticos.* II. *Qui miracula ediderint ope & instinctu Cacodæmonum, ad hominum deceptionem, falsaquè doctrinæ confirmationem.* III. *Huius generis exstare exempla in crassissimis Legendarum, vel potius Lugendarum Papisticarum Tomis.* IV. *Lugendas hasce falsitatem suam ita prodere, vt haud facilius sit asinum ab homine, quàm mendacissimas illas fabulas à veris historiis dignoscere.* V. *Calumniatur, etiam Ethnicos & Hæreticos olim talia miracula patrasse, qualia in historiis Sanctorum continentur.* VI. *Sanctos à me productos esse laruatos sanctos.* VII. *Omnes sanctos Flagellatores*, hoc est, qui corpora sua flagellis castigarunt, *fuisse Antichristi satellites*, iudice hoc verissimo & germanissimo Antichristi Soldurio & Satrapa. VIII. *Esse sanctos nouellos.* IX. *A Ioue Tarpeio heri demum fabrefactos sanctulos.* X. *In*

his

his numerari claudum & effrontem Loiolam. XI. *Fortè & Regicidam Clementem Monachum.* XII. *Et perduellem Campianum.* XIII. *Flagellationem meam & istorum pertinere ad spiritus atri & carnificis cruciamina.* XIV. *Legenda ostendunt sanctos istos minimè sanctos fuisse quippe qui libidinum aliorumq́ crassiorum affectuum flammis accensi fuerint.* XV. *Nugacissimas Lugendarũ nugas & impudentissima mendacia crepat.* XVI. *Legendas innumeris mendaciis refertas, quarum Papistas cordatiores superioribus annis meritò puduerit.* XVII. *Legendas ineptas & aniles, vt fabula fabulam, & falsitas falsitatem trudat & trahat.* XVIII. *Habendas in eo censu, quo Apuleius, Auctor historiæ Theodorici de Verona, Auctor Cornei Sigfridi, Vlenspigelius, &c.* XIX. *Renata Euangelij* (Quinti) *luce Lugendas istas plerisque tam Lutheranæ quàm aduersæ partis hominibus fœtere & sordere cœpisse.* Mendacium insigne de Catholicis. De Lutheranis nil mirum, quia omnia illis fœtent & sordent, præter patris sui Lutheri fimeta & oleta, *quorum genius*; vt vtar Zeæmanni verbis, *hoc cibo pascitur & pinguescit, quibus si mentiendi criminandíque facultas adempta fuerit, vno momento eorum & cathedra & typographia conticescent.* Thes. 407.

XX. Suspicatur ea, *quæ sub Petri Damiani nomine protuli, conficta esse, & Damiano falsò attribui.* Nec in animum Prædicanticum inducere potest Dominicum Loricatum ea fecisse, quæ à Damiano fecisse memoratur, quia non modo vires, sed & cogitationes Prædicantis superant, & longissimo interuallo transcendunt: qui toto barbaræ loquentiæ suæ flumine nobis persuadere nititur, Dominicum ictus flagellorum, non incussisse tergo, sed loricę, quo tergum fuit amictum. Quo pacto crediderim, nec Zeæmannum, nec socerum eius recusaturum, quo minus disciplinam faciant. Liceat illis indue-

re loricam, non quidem super nudum corium, sed more militari, supra vestes, nec detrectabunt, flagellis in terga sua atrocissimè desæuire, etiam publicis in processionibus. Ni hoc, quod somniat Prædicans de Dominico Loricato nobis persuadeamus, è vestigio occinet nobis suum illud carmen ex Thesi 417. *Hisce & huius farinæ nugis aliis, qui fidem adhibet, næ is ferreum, vel chalybeum, ne dicam adamantinum corpus Dominico isti tribuat, vel potius ferreum & cyclopicum ipse* (Prædicans) *cerebrum habeat necessum est*: Et dorsum ex butyro coagmentatum. *Stipitem profectò & truncum esse oportet, qui non palpet hæc mendacia* Prædicantis, inquit Prędicans, qui in natura sua nihil magis probat *ac laudat, quàm inuerecundiam & impudentiam*; quod Caligula quondam teste Suetonio de seipso dixit. XXI. Dominici Loricati flagellatio *non fuit Dominica, sed Satanica.* XXII. Quid Loricatus noster? *Aethiops & corporis sui carnifex.* XXIII. Mox *Lugendistas* exspuit, inter reliquum grandissimorum conuiciorum nimbum. XXIV. Item *sanctos Suiticos*, qui sunt, nisi fallor, sancti Lutherani: *quos purgatorius ignis non excoquit, sed tartareus æternum torquet.* Item. Narrationes ex Damiano de disciplinis, nil aliud esse, *quàm asini ruditum.* XXV. Mentitur impudenter, Thes. 431. *purgatorium ante Christi etiam aduentum exstitisse, Papistis omnibus minimè persuasum fuisse*; & in his numerat mendacissimè Petrum à Soto & Peresium. deq; limbo & purgatorio ita fatuatur, vt verissimè existimare queas, *te asini ruditũ audire.* Nam quod Præco XXVI. mentitur *S. Dominicũ Ordinis Prædicatorum institutorem sibi gloriam soli filio Dei debitam arrogasse*; id Prædicãti tanquam veniale peccatum condonari debet. XXVII. *Franciscus venereis tentationibus & titillationibus succubuit.* Et tamen nec cũ Luthero

Monia-

Monialem duxit, neque aliud flagitium admisit; sed seuerissimas pœnas à corpore suo contra rationis assensionē lasciuiente expetiit. Si hoc est succumbere, quid tandem erit vincere? Num hoc solùm, quod Lutherus tædis Matris Acidaliæ succensus fecit?

XXVIII. *Factum Francisci niue & glacie æstum carnis exstinguentis, fuisse furiosi hominis, vel potius porci, vel si mauis galli gallinacei.* Omnia ista elogia meruisset S. Franciscus, si cum tuo Luthero ad aliquam Pornam sese contulisset. Nunc quisquis S. Franciscum his probris afficit, is perspicuè declarat, sibi omnia illa iustissimè competere, quæ iniustissimè in tantum Dei amicum congerit. Bone Deus, quo istorum non procedit amentia, quando etiam carnis cum vitiis & cōcupiscentiis crucifixionem sanctissimo Patri Francisco crimini dare non erubescunt. Nam quod Przco supponit, hos motus & æstus *fuisse Francisco voluntarios*; historię ex diametro aduersatur, si enim voluntarij fuissent, haud vtique tam acri medio eos oppressum exstinctumque iuisset; sed potius fouisset, vt solent illi; quibus in hoc cœno volutari volupe est. Deinde Prædicans ex suo ingenio æstimat ingenium S. Francisci; quia enim hæc ex Veneris regione aura non nisi volenti lubentique Præconi venit; aliis idem accidere arbitratur; & quia non reluctandum, sed potius obsequendum censet; miratur Franciscum huic beneuolo Fauonio tam ingratum exstitisse; vt niuibus, glacie & gelu se munire voluerit, quo pestilenti illi afflatui aditum ad se intercluderet.

XXIX. Pòst horribiles in S. Franciscum contumelias, & sannas omnibus pantomimicis dicteriis scurriliores nominat Prædicans eundem sanctum patrem *impurissimum, & ex Epicureo dissolutissimo stolidissimum hypocritam,*

tam, & furem, qui non exiguam pecuniæ summam ad reparandum Damiani Templum patri suo furatus sit. Piget enotare plura sputa, quæ bustuarius iste Prædicans in S. Franciscum ex putidissimo suo pectore eiectat. Etiam Centuriatores quouis passere salaciores cent. 13. cap. 10. vocant S. Franciscum *hominem insulsum*, quod à carne tentatus se flagellauerit, & in niues immerserit. Eundem nominant cap. 6. *hominē luxuriosum*; perinde ac si Thais aut Lais nominaret S. Agatham, aut S. Luciam, meretricem.

XXX. Recinit denuo, *in Legendis Sanctorum multa palpabilia mendacia deprehendi*, Palpabilia, sed manibus Prædicanticis, somniantium quoque somnia palpare doctis. XXXI. Henricus Suso totum stomachum Prædicanti euertit. Itaque quidquid bilis & chyli in eo restabat, id totum euomuit; adeo, vt Præco lenonia verecundia præditus dicat, se Acta Susonis non sine rubore vidisse. O quouis Virgilio magis Virginalem Zeçmannum, in quem iniurij erimus, nisi ei *Parthenia* nomen in posterum imponamus. XXXII. Ignatio, Xauerio, Borgiæ, & reliquis Iesuitis nō inuidet Præco suas disciplinas; imò optionem nobis dat, *vt carnifice etiam vel discipulis adhibitis, nos flagellemus.* Carnificem, vt vltrò accersamus, non decet: quia nō decet, vt falcem vobis debitam in alienam messem mittat; si tamen à vobis aliquando immissus fuerit; prout proculdubio immittere ardenter exoptatis; gratulabimur nobis, quod Deus nos portiuncula aliqua de suo calice dignari voluerit. Prætereo cætera Prædicantis conuicia & mendacia, quia si omnia exscribere vellem, commodior ratio non foret, quàm vt integras eius Theses describerem. Nunc in gratiam Zeçmanni, totiusque Prædicanticæ

tri-

tribus ac nationis plura percenſebo eorum exempla, qui diſciplinis corpora ſua afflixerunt & attriuerunt; eaque recentia & vetera; vt imiter doctum illum ſcribam, qui de Theſauro ſuo profert noua & vetera. Par eſt, vt diligenter inſpiciamus, quid à viris ſanctis geſtum ſit; adque eorum imitationem, quantum conſequi licet, properemus. Ridebunt & explodent Prædicantes exempla noua. An mirum hoc, quando rident explodūntque ſimul & vetera? Num ideo ſilebimus, quid ſancti viri, etiam æuo noſtro, vel factitarint vel factitent, quia carnis & ſanguinis myſtæ Prædicantes, ſtultitiæ & delirio deputant, quidquid aſperitatis prauis animi appetitionibus refrænandis ſuſcipitur? Non ſolis Prædicantibus hæc noſtra opera deſudat, ſed præcipuè orthodoxis, Dei cultoribus, ſuæ ſalutis amatoribus, qui carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere auent: quibus non modò iucundum, verumetiam fructuoſum erit intueri exempla tam priſca, quàm recentia eorum, qui prius hanc Diſciplinæ viam firmo pede calcarunt, & veſtigiis ſuis notatam reliquerunt. Attulimus plurima in opere de Diſciplinis, in Vapulante & Virgidemia. Quibus nunc ſequentia adiungimus.

CAPVT

CAPVT VIII.

Catalogus eorum, qui corpora sua per disciplinas castigarunt.

Isid. lib. 2. sentent. cap. 11.

AD conuersionem seu correctionē mortalium, multùm prosunt exempla bonorum, inquit Isidorus, *mores enim inchoantium non queunt perficere ad bene viuendum, nisi perfectorum informentur exemplis Patrum; Reprobi autem non attendunt documenta bonorum, quæ imitentur ad melius; sed proponunt sibi exempla malorum, quibus ad suorum morum peruersitatem vtantur in peius.*

Vt igitur aliâs, ita & nunc eorum, qui corpus spiritui per flagella ad verbera subiecerunt, exempla memorabo, quia vt idem Isidorus rectè scribit; *Exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias faciunt consectari virtutes; humilitatis ex Christo, deuotionis ex Petro, charitatis ex Ioanne, obedientiæ ex Abraham, patientiæ ex Isaac, tolerantiæ ex Iacob, castimoniæ ex Ioseph, mansuetudinis de Moyse, constantiæ de Iosue, benignitatis de Samuele, misericordiæ de Dauid, abstinentiæ de Daniele; sic & cætera facta piorum, quo labore, quo moderamine, quáue intentione, vel compunctione gerantur, vir sanctus imitatione considerat.*

Isid. loc. cit.

Clamabunt Prædicantes, præsertim socer & gener, me tantum adferre exempla ex *rancidis Monachorum Legendis*, seu, vt ipsi vocant, *Lugendis*. Vnde tandem cupiunt, vt hæc talia promam? An ex libris Prædicantium, præsertim eorum, qui prius vitam Monasticam professi fuerant? An ex Lutheri Tomis? Sed qui hæc talia in Luthero quærit, is eadem opera piscetur in aëre & venetur in aquis.

In eiusne libris exempla huius pœnitentiæ susceptæ inuestigem, qui hæc omnia stultitiæ, imò & insaniæ deputauit? Et cuius hæc sunt in Psal. 82. Tom. 3. Lat. Witeb. *Hic iterum cogor mentionem facere Monachorum, & Sacerdotum, qui suos impios cultus, & Pharisaica opera, supra cælos, & Christum ipsum extollunt. Quid autem sunt tales otiosi ventres, præ vno tali viro, vel pro infimo magistratu, suum faciente officium? Planè sunt ignaui canes, & terræ pondera. Quod ærugo est in ferro, hoc ipsi sunt in Rebuspublicis, & Ecclesiis. Quod enim ærugo commodi affert instrumentũ fabri, hoc ipsi afferunt Reipublicæ. Exemplo sunt vel optimi inter eos, vt qui Eremitæ fuerunt, vt Hilarion, & S. Hieronymus, & id genus, qui magni nominis fuerunt, propter vitam Eremiticam.* En Lutherus S. Hilarionem & S. Hieronymum & similes sanctitate præstantissimos viros numerat inter *ignauos canes, & terræ pondera*; ex quibus tanta vtilitas ad Rempublicam redierit, quanta ex ærugine seu rubigine ad ferrum. Subiungit Lutherus. *Quod si mihi adhuc esset eligendum vitæ genus, mallem scriba esse, vel præfectus apud vnum ex fidelibus Magistratibus, q̃ S. Hilarionis, vel Hieronymi angelicã vitã ducere. Et si calamus tunc ille meus scriptorius profanior, & vilior haberetur, quàm cana barba, aut cilicium Hieronymi. Hoc non morarer, tantum vt inuenirer in vitæ genere approbato à Deo, laudato in cælis.* Itaque ne Hilarion aut Hieronymus, aut alius quispiam ex Eremitarum numero efficereris; diligenter cauisti, relicto monasterio, exuto cucullo; ducta vxore, (si tamen hoc nomen meretur scortum) liberisque ex incesto connubio procreatis. Iste scilicet est status à Deo approbatus, quem tu tibi delegisti, non ille, in quo sancti illi Hilarion, Hieronymus & alij vixerunt; quia tuus status nititur amplissimo illo Christi pronunciato & promisso Matth. 19. *Et omnis, qui reliquerit domum vel*

 fra-

fratres, &c. *aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet*, &c. Quod tunc non inuitus mihi persuadebo; cum probaueris, *Relinquere vxorem*; idem esse, quod ducere vxorem: & relinquere filios; idem, quod filios gignere; & relinquere domum ac fratres; idem, quod fugere ex monasterio, & deserere illos, cum quibus antea vno quasi fraternitatis iugo deuinctus eras.

Sed nunc ad exempla descendamus; si narratio Prędicantibus nimis iniucunda eueniet, amphotidas poscant, vel aures obturent instar aspidis; ne exaudiant vocem *incantantis sapienter*.

Petr. lib. 1. Mirac. cap. 2. I. Petrus Venerabilis Abbas de Sacerdote pœnitente. *Ieiuniis & vigiliis, verberibus etiam & variis cruciatibus, iumentum lasciuiens, hoc est, corpus suum, secundum Apostolum, castigans, qui concupiscentias suas sequendo reprobus factus fuerat, eas in seipso damnando, electorum numero adiungi laborabat.*

Lib. 4. cap. 4. II. Chronicum Carthusianum de S. Anthelmo Episcopo. *Tam crebrò virgarum ac flagellorum ictibus suum lacerabat dorsum, renes & latera, vt caro eius nunquam nisi saucia, & plena vulneribus cerneretur.* Recensui quidem hoc exemplum in Virgidemia; sed hic ex ipso Chronico repetere visum.

Vincent. lib. 29. Speculi Hist. cap. 11. III. Vincentius ex Helinando Chronologo. *Eo tempore quidam Cenomanensis nomine Christianus, iuuenis conuersus est in heremitorium quoddam in Archiepiscopatu Turonensi, quod dicitur Gastinetum, vbi dum fortiter tentaretur à carne sua, affligebat se, in quadragesima ieiunabat, abstinens se ab omni potu prater vnum diem in septimana. In hieme stabat vestitus in aqua frigida vsq; ad collum, disciplinam sibimet dabat, vsq; quo virgæ dirumperentur. Quod cum quadam die hoc faceret, & se cecidisset vsq; ad sanguinem, audiuit vocem à*

par-

parte Occidentis dicentẽ: Nil prodest tibi, quod facis. Iste Deus, quem inclamas, non dabit tibi, ꝗ petis, sed conuertere ad me, & auxiliabor tibi. Quod ille audiens, intellexit vocẽ esse inimici. Et, cum orasset Deũ, vt auxiliaretur contra tentationes, proposuit peregrinationẽ ad diuersos sanctos, vt ita finiret vitã suam in peregrinando; & cum diu hoc cogitasset, accepto baculo egressus est nudis pedibus, & cum venisset ante quandam Ecclesiã, flexis genibus rogauit Deum, vt daret ei bonum consilium. Vix ab oratione surrexerat, & ecce sensit fœtorem magnum, per ꝗ intellexit diabolum astare, qui ei suggerebat relinquere habitum religionis, & locum suum: & gratias agens Domino de tali signo, reuersus est ad fratres suos. Iste Diabolus, qui huic Eremitæ acclamauit illud: *Nil prodest tibi, ꝗ facis*; alius fuisse nõ videtur, quã ille, qui Luthero dictauit hunc commentariũ in caput duodecimũ Ecclesiastę *Salomon est optimus adolescentia magister. Non prohibet iucunditates, siue voluptates, queadmodum stulti magistri Monachi fecerunt. quia, hoc nihil aliud est, q̃ ex iuuenibus, facere trũcos, & (vt etiã dixit Anselmus monachissimus Monachus) quàm velle arborẽ in angustã ollam plantare. Sic illi suos, tanquã in caueã incluserunt, & prohibuerunt hominum aspectum, & colloquium, vt nihil discerent, aut experirentur, cum nihil periculosius sit iuuentuti solitudine.* Si autẽ Prædicantes socer & gener nosse desiderant, quis iste Helinãdus fuerit; eos consulant, qui catalogos scriptorum Ecclesiasticorum confecerunt, nominatim Eisengrinium & Posseuinum. Progrediamur in exemplorum recensione. *Luth. Tom. 4. Lat. VVitteb.*

IV. Ex Petro Damiano Vincentius. Idem Vmbertus (Archiepiscopus) *retulit, quod in monasterio S. Syluestri in territorio Vrbinati quidam monachus obiit, & ab incipiente gallicinij nocturnalis articulo, vsq; ad secundam diei horam cadauer, fratribus circumquaq; psallentibus, iacuit. Cumq; ad* *Vincent. lib. 25. cap. 62.*

Missam pro eo, Agnus DEI, *diceretur, ecce subitò mortuus surrexit. Cumq; attoniti fratres propius accessissent, vt ab ore illius verba audirent, ille maledicta, & contumelias in Deum cœpit euomere, & crucem oblatam ei, vt oscularetur, conspuere, & intemeratã Dei genitricem ignominiosis opprobriis lacerare: Et dicebat: quare pro me psallitis, vel sacrificia offertis? Ego in ipsa flamma Tartari fui, ibiq; magister meus, & dominus lucifer coronam suam aream inexstinguibili semper ardore candentem in capite posuit, eiusdemq; metalli chlamydem, qua induebatur, me vestiuit. Erat autem chlamys non longa, vt talo tenus flueret, tam feruenter ignita; vt guttas emittere videretur. Cumq; fratres eum, vt pœnitentiam ageret, admonerent, ille anathematizabat, & omnia Redemptoris nostri ore sacrilego, condemnabat mysteria. Tunc Monachi toto corde pro illo orantes, exutis vestibus se verberantes, & pugnis pectora tundentes, omnibus, quibus valebant, precum generibus insudabant. Et ecce, desperatus ille ad se redit, Saluatoris omnipotentiam laudat, Satanæ ludificationes abrenunciat, crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quia post renunciationem seculi in fornicationem inciderat, quod eo tenus celauerat, laudansq;, & benedicens Deũ, vsq; in diem alteram vixit, & in sancta confessione migrauit.* Terrificum sanè exemplum. Attamen exitu lætum, & charitate ac sollicitudine fraterna erga desperabundum cõmemorabile ac notabile; quia, vt Isidorus dicit, *Scribuntur sanctorũ ruinæ, & reparationes, vt spem faciant salutis humanæ: ne, quisquam post lapsum, pœnitendo desperet veniã, dum conspicit Sanctorum reparationem fuisse etiam post ruinam.*

Isid. lib. 2. sent. cap. 11.

V. Ex Syluestri Giraldi Cãbrensis Itinerarij Cambriç lib. 1. *In Borealib. Angliæ trans Humbrũ finibus in Ecclesia de Houedene, rectoris eiusdẽ Ecclesiæ cõcubina tumba sanctæ Osanæ sororis regis Osredi lignea in sedis modũ super areã eminenti*

minus

minus cautè insedit. Quæ cùm inde recedere vellet, fixis ligno natibus auelli non potuit, donec accurrente populo, scissis vestibus, & corpore nudato, & crebris disciplinis vsque ad sanguinis profluuium acriter afflicto, cum lacrymis quoque multis, & supplicationibus compunctione secuta, & pœnitentia iniuncta diuinitus laxata recessit. Arbitror tamen hoc exemplum potius pertinere ad disciplinas ab aliis acceptas, non ad propria manu inflictas. Neque enim illi, qui impudicæ mulieris pœnam miserabātur, seipsos; sed ipsam fœminam flagellasse videntur.

VI. De Ioanne Nuttero, sacerdote Anglo, pro Catholica religione sub Elisabetha Regina Martyrium passo, hæc Auctor libri, qui Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ inscribitur p. 2. fol. 159. b. *Corpus non solùm ieiuniis vigiliisq́, sed etiam assidua flagelli disciplina coërcebat* (etiam in carcere) *quod licet cautissime occultaret, à quodam tamen viro, quem ille aliquanto familiarius adhibebat, paulò ante mortem deprehensum fuit.*

VII. De Scheruino itidem Sacerdote & Martyre Anglo idem liber Concertationis. *Huius viuendi ratio, parsimonia cibi & frugalitas, assidua oratio, diuturna vigiliæ, frequens & acerba qua vtebatur corporis castigatio* (per disciplinas) *tantam carceris custodi admirationem attulerunt, & stuporem, vt eum semper virū Dei, optimum ac religiosissimum sacerdotē appellaret; nec similem vnquam se vidisse confiteretur.*

VIII. De præstātissimo Cardinali Carolo Borromęo ita canit poëta, qui ad effigiem eius carmen adiecit: exstatq; in libro, cuius inscriptio. *Pastorum concionatorumq́ instructiones:*

Et genitus quamuis proauis illustribus esset,
Diues opum, & Latij gloria prima chori:
Vixit inops tamen atq́ humilis, castusq́, flagellis
Membra, fame & lacrymis, excubiisq́ domans.

Ex Vita B. Stanislai Koscæ.

IX. *Dies appetebat S. Laurentio sacer, qui inclytus martyr in menstrua sortitione Stanislao patronus obuenerat, eamq; ob rem celeberrimum optans agere eum diem, pridie instituit à Rectore, multa sibi vt facere, patiue liceret; ex quibus leuissima quædam concessa, inter cætera, vt se publicè in cænaculo verberaret.*

Disciplinantium Processiones sæuiente terræmotu.

X. Exstat libellus Germanicus ex Italico conuersus anno M.D.XLIII. in quo terrifica continetur narratio de terræmotu, Florentiæ, & in finitimis locis grassato; cui auertendo, institutæ sunt supplicationes hominum omnis ordinis, conditionis & ætatis, nudis pedibus, passis crinibus, velata facie, elatis vocibus *diuinam misericordiam* inclamantium & implorãtium, non sine flagellorum ictibus, quibus plurimi sua corpora multabant; vsque adeo, vt sanguis vbertim de dorso deflueret.

XI. Ex epistola quadã Roma tempore Pij V. ad quendam Germaniæ Principem scripta, & cum aliis Ingolstadij excusa M.D.LXVI. *Ea ipsa die* (feria quinta cœnæ Domini) *cum sera traherent crepuscula noctem sanctam; vidi ordine incedẽtem longam eorum seriem, qui de peccatis suis contriti, ac ex animo dolentes, quod ipsi iis, passioni, cruci, morti Christi causam dederint, quod ipsi illius plaga doloris, illius culpa sint occisionis, ideoq; infinitis verberibus, miserandum in modum, propria terga ita lacerarunt, vt sanguis ad terram vsque defluxerit. Spectaculum reuera commiseratione, & multis lacrymis dignissimum. Vidisset ibi Ill. V. C. aliquot centurias eius generis hominum; qui sua sponte tantam hanc libenter suscepêre*

sæpêre satisfactionem; libenter peregêre, libenter semetipsos tam durè afflixêre, vt statuere quis secum non potuerit, maiorem ne ipsi ex ictibus toties, tamq́ duriter repetitis, senserint dolorem, an verò verberando magis defatigati fuerint in brachiis, &c.

Istæ flagellantium societates, quarum plures sunt; ac nonnullæ aliquot centena virorum complectuntur; cùm ad Ecclesiam D. Petri peruenissent, singulis sigillatim, lancea, qua Longinus latus Saluatoris perforauit: item ipsum originale sanctissimi vultus Dominici, videndum fuit exhibitum. Si mihi sint centum linguæ, sint oraq́ centum; non possem hîc genuflexiones, gemitus, eiulatus, clamores, precationes, quæ edita voce, cum ab ipsis flagellantibus, tum à populo, qui ad spectaculum illud numerosissimus confluxerat, editæ fuêre, explicare. Hoc tamē tacere minimè possum, quin, quoad vixero, in despectum Satanæ, omniumq́ ministrorum eius perpetuam confusionem, scriptis, & viua voce, publicè coram toto mundo testabor, me eo tempore, quo Romæ vixi, summa summæ pietatis, & pœnitentiæ opera vidisse.

Quod ipsum tamen, vti ex aliis intelligo, Romæ non nouum; & hoc Pontifice nullo modo mirum. Cùm enim is sanctitate, innocentia, ieiuniis, humilitate, zelo fidei præluceat, exemplo suo alios quoque ad earundem virtutum studium excitat.

Congregationis Disciplinantium meminit quoque Caluinista Hospinianus lib.4. de origine Monachatus cap.26. his verbis: *Est & confraternitas quam vocant Disciplinatorum B. Mariæ Virginis, quæ est Senis, in domo Hospitali de la scala. In hanc nulli admittuntur, nisi quorum fama integra est, & bona existimatio, aut saltem esse censetur. Ex hoc loco, omnes ferè Italiæ benè moratorum, siue disciplinatorum Laicorum exercitationis, vel deuotionis studia manasse volunt.*

volunt. Prodierunt enim inde Ioannes Columbinus, Iesuatorum institutor primus, & eius socius Franciscus Vincentinus: itemq; Ordinis montis Oliueti fundator Petronius de Petroniis, postea Carthusianus effectus: Andreas de Galleronis: Bernardinus Senensis, instituti de Obseruantia in Minorum Ordine autor, aliiq; permulti: vt Laurentius Surius indicat Tomo 3. de vitis Sanctorum.

Solent huiusmodi disciplinantium Congregationes non tantùm sacro Parasceues die, sed & aliis anni temporibus in aciem ac campum prodire, vt manifestum fit ex legibus congregationis disciplinantium Mediolani, quas ad calcem Vapulantis in gratiam Prædicantium adiunximus: qui non ignorant hoc castigationis genus indies inualescere, & iam quoque ad Antipodas & extra anni solisque vias penetrasse. Qua de propagatione admodum flebiliter scribit Caluinista Hospinianus. Postquam enim recensuisset Flagellantibus, illis nimirum, qui teterrimis opinionum monstris infecti erant, interdictum fuisse, ne publicè disciplinas facerent; subiungit. *Nihilominus tam Auenione, quàm aliis per Italiam Pontificiæ ditioni subiectis vrbibus, flagellationes eiusmodi publicæ, ad pœnitentiam vehementius testandam, retentæ sunt. Et iis locis hominum turba albis, pullis, cinericiisq; vestibus insignes, capite obuoluto, nudis pedibus, humerisq; nudis, quos scuticis ære argentóue acuminatis, vt potentior sit ictus diuerberant, sanguinemque eliciunt, amburbias habent supplicationes, & ad Diuorum puluinaria* (dic Ecclesias) *adeunt. His vapulantium factionibus, sic enim vocantur* (sed ab hæreticis) *opulenti & nobiles viri complures, quin Reges magniq; principes* (nulli tamen Prædicantes) *sese adiungunt, religionis testandæ gratia. Sic enim anno M. D. LXXIV. post horrendum & inauditum illud patratum latrocinium per*

Hosp. lib.6. de orig. Monach. cap.30.

totam

totam Galliam (memineris hanc orationem eſſe præconis Caluiniani) *Henricus III. nunc Galliarum Rex vni factioni* (imo congregationi) *ſeſe adiunxit, & ad illius exemplum vniuerſa penè aula. Carolus verò Lotharenus Cardinalis ipſe cumprimis, qui pro more & inſtituto patrij illius ritus, pedibus humeriſq; nudis obiuit hiberno tempore ſupplicationem.* (Quis Prædicantium hoc faceret?) *In Hiſpania quoque tritum eſt hodie flagellationibus talibus ſuam pœnitentiam declarare non ſolùm promiſcuam plebem, ſed cumprimis nobiles magnoſq; viros, quibus ardentes faces, media etiam luce, præferuntur. Hi verò ritus agendi pœnitentiam neque in verbo Dei hominibus ſunt mandati* (An nihil faciendũ niſi quod ſignatè in ſcriptura mandatur? An nõ mandatur in ſcriptura; vt pœnitentiam agamus, vt carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifigamus? An diſciplina non eſt pœnitentia? An non corporis crucifixio?) *neque à veteri Eccleſia inſtituti* (contrarium teſtatur Paulinum illud: ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου) *ſed poſterioribus demum ſæculis, ſuperſtitione magiſtra, introducti* (& hoc refellunt exempla ex Climaco & aliis alibi prolata) *quæ homines tantum circa externa occupatos detinet, de internis veriſq; pietatis officiis non multum ſollicita.* Quod verum eſſet, ſi Hoſpinianus non mentiretur. Sed plus vltra.

XII. Exſtat charta quædam Germanicè iam olim edita hoc titulo: Ritterſchafft vnſers Herrn Jeſu Chriſti: hoc eſt, *ordo equeſtris Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Nec aliud complectitur, quam inſtructionem, quomodo paſſionem Domini in actionibus noſtris imitari debeamus, ſingulis diebus illius ſeptimanæ quæ *Maior* vulgò dicitur; ducto exordio à feſto Palmarum, adduntúrque imagines Chriſti patientis, & altera ex parte hominis, cruciatus noſtri Redemptoris in corpore ſuo exprimere

ſtudentis, eo potiſſimum fine; vt capitalia mortifera peccata deuitet; hinc ſingulis diebus annotatur & nominatur vnum ex ſeptem peccatis lethalibus, contra quod præcipuè eo die dimicandum ſit. Pugna feriæ tertiæ dirigitur aduerſus vitium iræ. A dextris conſpicitur effigies Chriſti ad columnam ligati & flagellati: à ſiniſtris imago hominis ſupernè nudati; & dextra ſcopis ſeu virgis, læua autem flagello armati, cum hac admonitione: Auff den Afftermontag ſo fleiß dich der Tugendt der Sanfftmütigkeit / wider allen Zorn. Vnnd trag den Tag in deinem Hertzen die Ruten Jeſu. Vnd zu abent zeuch dich nackendt auß / vnd knie nider / ſprich fünff Pater noſter, vnd fünff Aue Maria, mit fünff ſchlegen einer Geiſſel auff den Rucken / der Geißlung Jeſu / daß dir Gott vergeb deinen Zorn / ſo haſt du wol geſtritten den dritten Tag.

Feria tertia ſtude virtuti manſuetudinis aduerſus omnem iram. Et hoc die circumfer in corde tuo flagella Chriſti. Veſperi exue veſtes, flecte genua, Recita quinquies orationem Dominicam, & toties quoque ſalutationem Angelicam; & quinis ictibus dorſum tuum flagello percute, vt tibi Deus quæ per iram commiſiſti, clementer condonet: quo facto legitimè certaſti tertia die.

Ex quibus apparet, diſciplinas iam olim Germanis fuiſſe vſitatas, neq; enim pia illa equeſtris ordinis Chriſti exercitatio nudius tertius aut quartus in Germaniam introducta eſt. Quod etiam ex Luthero liquet, qui in declaratione Papatus vnà cum ſuis coloribus Tomo I. Nouorum operum fol. 65. fœminei præſertim ſexus, vt ſolet, duram ſortem miſeratus, quid crucium ſub Papatu ſubire debuerit, his ferè verbis nobis dat denarratum.

Hæ

Has conciones(de pœnitentia agenda)*cum audit miserandus, timidusq́ fœmineus sexus, qui etiam natura sua fatuus & facilè credulus est; concipit desiderium probitatis adipiscendæ: captusq́ & inescatus accurrit, consilium & auxilium à suo spiritali patre petit: tū crassus ille asinus nihil de fide aut Christo sciens, instituere fœminas incipit, vt per opera & satisfactiones peccata expient: Hinc cruces innumeræ; & tormenta immensa: dum, iuxta Paulum, semper discitur, & nunquam ad scientiam peruenitur. Quocirca nulla est in muliebri conscientia pax & quies, sed semper premitur & torquetur peccatis, à quibus exsolui cupit, nec potest. Ex quo fit, vt se variis desideriis duci sinant, prout testatur S. Paulus. Hinc quædam ieiunium in pane & aqua suscipiunt, nudisq́ pedibus peregrinationem ad Sanctos instituunt; Quædam* FLAGELLANT SE vsque ad *SANGVINEM. quædam hæc templa inuisunt, aliæ alia; nec finis aut modus vllus est variarum cupiditatū. Quidquid audiunt peccatis eluendis conducere, illud cupidè arripiunt; totoq́ pectore perficere tentant; nec tamen vllam requiem inueniunt.*

En etiam Lutheri tempore, quin & ante Lutherum, teste Luthero, disciplinæ ad sanguinemusque fiebant, Numinis placandi caussa: indignante quidem Luthero, qui faciliore expurgandi peccata ratione inuenta, omnes istas asperiores aspernatur, & vt stultas reiicit; quia *frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora*: vt habet millies in scholis Philosophorum decantatum proloquium. *Crede omnia peccata tibi remissa esse, & remissa erunt.* Quid pluribus opus? *Quid opus ieiuniis sola aqua & pane circumscriptis? Quid opus peregrinationibus ad Sanctos non sine nudipedalibus? Quid opus flagellatione proprij corporis vsque ad sanguinis effusionem? Crede, crede & saluus eris.* Quid reprehensionis, imò quid supplicij non meretur

Diabolus, qui mundo Lutherum tam serò miserit. Lutherum, inquam, illum populi Christiani ab omnibus pœnitentiæ operibus liberatorem; illum tam expeditum, mellitum, iucundum, acceptumq; omnium conscientiarũ, præsertim muliebrium, paracletum ac consolatorem.

XIII. Fermè exciderat vir vniuersis Prædicantibus longè gratissimus Gregorius VII. Pontifex Maximus, de quo in eius vita nondum edita, quæ his diebus Viennæ ad me venit, suo tempore, Deo volente euulganda, isthæc leguntur. *Diu mæsto animo reuoluens quid egisset, quo delicto Deum offendisset, qua denique culpa datam sibi compunctionis gratiam perdidisset, tandem, temperato mœrore, id consilij accepit, vt religiosos viros secum in ieiuniis & orationibus supplicare Domino deposceret, &c. completis itaque duarum hebdomadarum vigiliis, ieiunio & CORPORALI DISCIPLINA.*

XIV. Ioannes Nider lib. 1. Formicarij cap. 9. de quodam Religioso. *Occultè vsus est exercitiorum, inuisis temporibus nostris, armis. Habuit cilicium, non quale portant Patres Carthusiæ, sed contextum tantùm ex equorum grossissimis crinibus & nodis: vsus est flagello, stimulis, & calcaribus equorum similibus: torquem ferream cum appensis de eadem minera campanellarum nodis, clam, more nobilium, collo detulit; lorica ferrea, & aliis miris ad domandam carnem instrumentis vtebatur. Crucem habebat in Siropodio magnam, & ligneam, & absconditam super qua iacuit, nec vllis sub capite vtebatur plumis.*

XV. Agmen claudat S. Hieronymus, quem vel primo loco positum ac commemoratum oportuit: sed non tantum prima in acie, sed & in postrema, & quidem frequentius, fortissimi quique collocari solent, idque ex disci-

disciplinæ militaris præscripto. De S. Hieronymo igitur ita Dionysius Richel Carthusianus, Serm. 2. Dom. 3. post Pascha: agens de multiplici tristitia, atque lætitia, hæc de B. Hieronymo asseruit: *De Sancto illo Doctore Ecclesiæ B. Hieronymo legitur, quod suas quotidianas, & veniales culpas quotidie ita defleuit, ac si grauissima commisisset facinora, seq; quotidie vsq; ad sanguinis effusionẽ ter flagellauit.* Nec contemnendũ, quod idem Dionysius p. 2. de sanct. sermone primo de S. Hieronymo tradit in hunc modũ: *Erat quoq; sacratissimum corpus eius tam squalidum, ac deforme, quod terribile erat cunctorum aspectui. Nam præ abstinentiis fuit tam macilentum, quod ossa eius per articulos potuerunt numerari: sic verberibus cruentatum ex disciplinis, vt leprosi potius corpus crederetur, quàm hominis sani.* Accepit enim hæc Dionysius, priorem quidem locum ex Epistola D. Augustini ad Praylium, siue Cyrillum vbi hæc verba: *Ter in die carnem diris verberibus flagellabat, ita vt ex eius corpore riuuli sanguinis effluerent.* Posteriorem verò, ex Epistola Eusebij ad Damasum Portuensem, vbi ista leguntur: *Omnes fratres lacrymis madefacti denudantes sacratissimum corpus ita squalidum, & deforme abstinentiis, quod quidem terribile cunctorum visui cernebatur. Nam tanta erat affectum macie, vt ossa eius potuissent per articulos numerari: sic verberibus cruentatum, vt leprosi potius corpus crederetur.*

Non ignoro, esse apud quos parum fidei inueniant Epistola nomine Augustini prænotata, ad Cyrillũ Hierosolymorum Episcopum, itemque responsum Cyrilli, & Epistola Eusebij ad Damasum de obitu D. Hieronymi, quæ omnia Tom. 9. Operum D. Hieronymi continentur. Sed nec illud me fugit, non deesse, quibus diuersa stet mente sententia, quique harum Epistolarum

auctoritatem pluribus argumentis asserant. Vtcunque sit; illud hinc conficitur, ei, quisquis Epistolæ ad Cyrillum Auctor fuit, disciplinas haud displicuisse; multò minus execrationi fuisse, prout sunt socero atque genero; eorumque in vinea Lutheri synergis & adiutoribus.

Hîc Zeæmannus vocem tollet, & locum hunc de disciplinis D. Hieronymi à *clamatore Suitico* Sallero, mihi suggestum subiectumque vociferabitur, vt & de quodam Zachariæ loco, vbi Propheta immensum quendam *planctum super Christum, quasi super vnigenitum* describit, similiter pronunciauit Præco, quem vt diu non morer, ingenuè fateor, & hunc & illum, & plures alios locos mihi à *R. P. Ioanne Sallero*, cathedralis Ecclesiæ Augustanæ concionatore, suppeditatos esse; nam aliquot concionibus hoc ipsum de corporis præsertim per disciplinas castigatione, argumentum ex suggestu contra Lutheranos rabulas eruditè tractauit. Tantum autem abest, vt me pudeat proficere per viros doctos, palamque itidem fateri, per quos profecerim; vt optem, plures quotidie existere, qui meam paupertinam supellectilem in hac & in id genus aliis materiis augeant & locupletent; & hac liberalitate sua me sibi obæratum reddant, reipsa discent beneficium in vas pertusum non esse congestum. Sat de exemplis eorum, qui ipsi, virili dextra, carnem flagellationis rigore in seruitutem spiritus redigere instituerunt: *Sciant verò flagitio dediti* (monitum hoc Isidori est,) *ad quam vtilitatem eorum exempla proponantur sanctorum; scilicet, vt aut sint, quos imitentur ad reparationem, aut certè ex eorum comparatione durius de inobedientia puniantur.*

Zach. 12.

Grip. Disp. 2. Thes. 121.

Isid. lib. 2. sentent. cap. 11.

Protuleram lib. 1. Vapulantis cap. 13. duos locos ex S. Hie-

S. Hieronymo Epist. ad Sabinianum Diaconum, quos ad disciplinas spectare, probabiliter videri posse dicebam. Quid Præco? Thesi 464. Totus in furorem abit. Ex Prædicante efficitur Furius. *Respondeo*, inquit, *posse quem merito non suspicari, sed ratiocinari, perditam esse Suitæ caussam pessimamq; conscientiam, qui tam alienis undecunq; corrasis & congestis testimoniis glaucoma imperitorum oculis obiicere, & in flagellationis patrocinium diuum etiam Hieronymum vocare non erubescit, cum tamen totâ illâ Epistolâ ne vestigium quidem Flagellationis occurrat.* Quod verum erit, si tu Præco non mentiaris. At quia artem tibi notissimam hîc etiam factitas, quod fatebitur, qui absque Prędicanticis oculis & ocularibus ea, quæ loco citato scripsi, legerit, non est, quod insanos tuos clamores & vociferationes plusquam Bacchicas moremur. Prædicans non esses, nisi ad clamores & vociferationes contumeliosas & calumniosas aptus esses; qui admodum scitè ex Sabiniani facto colligis: *Omnes, qui disciplinas faciunt, esse Sabiniano similes, hoc est, scortatores, sacrilegos, incestuosos, & id genus aliis flagitiis contaminatos.* Sic enim stultescit Præco.

Sabinianus, quem indice Gretsero, Hieronymus ad Flagellationis pœnam damnauit, fuit scortator, sacrilegus, &c. *ergo omnes, qui in Monasteriis vel extra, propriis aut alienis manibus, iussi aut iniussi, caeduntur; sunt scortatores, sacrilegi,* &c. Perinde ac si diceret. Scortatores, adulteri, fures, & huius classis alij, confitentur interdum apud Lutheranos, & à Prædicantibus absolutionem vel potius denunciationem absolutionis scelerum suorum postulant: ergo omnes, qui apud Lutheranos confitentur, sunt scortatores, adulteri, sacrilegi, &c. Vt tibi Præco, placet hæc consecutio? Certè si tua tibi arridet, oportet,

tet, vt & hæc tuæ pariſſima arrideat: qui quod Sabinianum nominas *impuriſſimum helluonem, ſcortatorem, adulterum*, oblitus videris tui Lutheri, & tot Apoſtatarum, qui reipſa perpetrarunt; quod Sabinianus tantummodo perpetrare tentauit. Lutherus enim, Bucerus, & alij reipſa Moniales ſub coniugij velo inceſtarunt; Sabinianus vltra conatum non proceſſit, ſi igitur propter conatum Sabinianus eiuſmodi à te ornatur encomiis, & quidem meritiſſimò; oportet, vt iiſdem cohoneſtetur quoque tuus Lutherus, qui ex nefaria cum Moniali coniunctione liberos procreauit; & in id totus incubuit, vt non vnã, ſed omnes Deo dicatas Virgines ex Monaſteriis raperet ac harpagaret, & ſibi ſimilibus hircis ad libidinem proſtitueret. Qui etiam publicis libris & litteris gloriari ſolitus erat, ſi quando res ex voto ſucceſſiſſet; ſuiſque machinis ſanctimoniales ex clauſtris in mundum extraxiſſet. Teſtis eſt libellus, quem Anno M. D. XXIII. euulgauit hoc titulo. Vrſach vnd Antwort/ das Jungfrawen Klöſter verlaſſen mögen. In cuius calce recenſet nomina nouem illarum Monialium, quę Lutheri impulſu, ex Nimptzenſi Monaſterio euaſerant. Nunquã huc impudentiæ proceſſerat Sabinianus; ſed vnam duntaxat ex Parthenone Bethlehemitico abripere molitus fuerat. Non eſt igitur, cur in ſolum Sabinianum Præco vſque adeo inuehatur, oblitus ſui Lutheri, & tot deſertorum, quorum ſcelera duplo ſunt grauiora & execrabiliora.

CAPVT

CAPVT IX.

Disciplinæ Japonicæ & Jndicæ.

NOVATORES admodum delectantur rebus exoticis ac peregrinis; mercibus autem & gazis Indicis ita capiuntur, vt classibus suis per vim sibi ad beatas illas & opulentas prouincias viam patefacere tentent. Adferamus igitur illis ex Iaponia & vtraque India disciplinas. Forsan has amabunt & imitabuntur ob peregrinitatem, quandoquidem illas, quæ iam suscipiuntur & olim quoque notis in regionibus susceptæ sunt, detestantur. Adeste igitur Prædicantes, & inprimis tu socer cum tuo genero; & hunc Catalogum Iaponicarum & Indicarum disciplinarum attentè percurrite; & tandem ad imitationem aliquam exardescite.

Ex literis Gabrielis Matosi Anno Domini M. DC. III. datis, & postea Moguntiæ Anno Christi M. DC. VII. excusis. *Per quadragintadiale ieiunium, sermones, congressusq; diuinis de rebus, variis in locis agitati. Sexta feria, sub prima lumina, vltimis persolutis precibus, missaq; concione, vbi & caput aliquod ex historia necis Christi explicatum, agmen supplicantium Prothasio principe, primoribusq; ciuitatis comitantibus, è nostra domo ductum in ædem sacram. Eam ingressi cum essent complures, tamdiu se flagris commulcabant, dum Psalmus quinquagesimus pronunciaretur.*

Ex iisdem literis: *Per magni ieiunij dies ex hoc Collegio ad vicinos pagos sacrificij, concionisq; causa excursum est. Sodalitium, quod Misericordiæ dicitur, in domum quandam suam bis quot hebdomadis conuenit, quos inter, primores erant ciuitatis, quibus Dux peccatorum lingua, typisq; Iaponicis vul-*

gatus, legebatur, explicabaturq́. Sextis autem feriis, sub noctem diurnis precibus completis, in Collegio nostro, de confessione peccatorum, caterisq́ pœnitentia partibus instituti sermones. Iis finitis, (vt in Christi suppliciis, ac nece enarranda fieri solet) Crucifixi imago ad pietatem apposita auditoribus ostensa, multisq́ cum lacrymis, atq́ impositis sibi sponte verberibus, circum templum delata.

Ex iisdem literis. *Filius cuiusdam è subscriptoribus* (hoc est, illis, qui libellum quendam fidei Christianæ præiudicium afferentem, ab Ethnicis oblatum subsignarant) *papulis afflictatus iacebat; (quod morbi genus in Iapone,* inquit eadem Epistola, *plerisq́ omnibus adulta quamuis atate hominibus mortiferum, non secus atq́ in Europa pestilentia, vitari solet.) At cum, cateris, suo more, ante sacram imaginem in preces incumbentibus, Pater pueri praterea semetipsum flagello caderet, valetudinem recuperauit. Paulò post ater genius eiusdem viri filiam inuadit: cum Christianus, cum puella collo libellum adalligasset, flagris item exturbauit.*

Ex iisdem literis de lapsorũ pœnitentia. *Lapsi ingemiscentes suo errori, patrem quendam in finitimo loco Christianis dantem operam, cõueniunt, ac postquam acerbè increpiti exomologesin obierunt, coramque omnibus suis manibus vapularunt, Ecclesia sunt redditi, ac modo ex Christianorum ritu, vitam degunt.*

Ex iisdem literis: *Introducta inter Christianos est consuetudo, cœtus orationis, piorumq́ sermonum causa agendi, qua re mirificè proficiunt. Pracipuè tamen per Quadragesimam in consuetis omnibus pœnitentia exercitationibus versati sunt. Multi quotidie intra domesticos parietes, bis autem quot hebdomadis in templo simul se flagellabant non sine adhortatione; aut, si nostri deessent, libri pij lectione, à qua conuentus initium duce-*

ducebatur. Complures ieiuniorum sunt perstudiosi. Itaque interdum impransi, incænatiq; solidum diem trahunt. Postularet hic locus, vt de Iusto Vcondono verba facerem. de beneuolentia, qua nos comprehendit, quibus ædes, templumq; exstruxit, rebus omnibus, quæ ad munerum nostrorum functionem desiderari solent, ornatum; de iustitia, atq; integritate, quibus apud ipsos Ethnicos, atq; inprimis Figendonum insignem sibi laudem, gloriamq; peperit. de pietatis studio præcipuè per Quadragesimam, cuius singulis Sabbatis domi, cum suis familiaribus omnibus, in se ipsum verberibus animaduertit.

In eadem Epistola: *Multa hoc anno Omuranorum in nos beneuolentiæ ostentui fuerunt: vt, sumptus in sacram ædem restaurandam facti, quæ proximo superiore anno vt tum scriptum est, erat disturbata. deinde officia P. Rectori ægro prolixè præstita, non modo inuisendo; sed totum etiã mensem noctu, diuq; apud eum excubando, tum etiam sponte se pro eius salute verberibus, atque inedia affligendo, adhæc precum coronas, & peregrinationes ad religiosa loca Deo offerendo.*

Ex Annuis Iaponicis Francisci Pasij M. DC. I. *Dum Bugen abesset Gieciudono, & apud Deifusamam maneret, magna cum quiete quadraginta illos dies, quos Ecclesia ad coërcendas corporum illecebras præscripsit, Christiani transegerunt. Omnibus diebus Veneris terga sua flagris pulsarunt, & in die Cœnæ supplicatio fuit virorum se verberantium; qua in re noluerunt fœminæ inferiores esse, quàm viri. Nam ipsæ in ædibus Donnæ Mariæ matris Gieciudono voluntariis verberibus se affligere non prius destiterunt, quàm sanguis ex plagis efflueret.*

Ex literis Iaponicis Aloisij Almeidæ Anno salutis

M. D. LXI. *Quod ad Bungensem Ecclesiam attinet, quæ nunc quidem est Iaponis omnium maxima; admodum augetur in dies (cœptis aspirante Domino) cum virtus veteranorum, tum etiam tironum numerus: quorum tanta est pietas, vix vt possim verbis assequi: nonnulla tamen attingam, vt ex iis reliqua intelligatis. Primùm, nulla nox præterit, (vt mihi quidem videtur) quin verberationes in templo fiant, ac ferè semper omnium, quotquot ibidem eo tempore sunt. quibus in templo non licet, ij sese intra priuatos parietes cum vniuersa familia verberant quotidie; quamuis ningat, Christianis refertum est templum, nec reseratur ferè, quin multi reperiantur ad limina præstolantes.*

Ex literis Iaponicis Balthasaris Gagi Anno Christi M. D. LIX. *Ineunte Quadragesima honestus vir Christianus, quo commodius rebus diuinis vacaret, possessionibus relictis, amicoq; potenti, apud quem familiariter viuebat, ad nos se recepit, filioq; vno, quem habebat, in Societatis nostræ disciplinam tradito, ipse toto eo Quadragesimæ tempore pedem finibus ædium nostrarum nusquam, ne ad suos quidem extulit: quinta autem sacræ hebdomadæ feria in Cœna Domini, cum ante aram in primo fidelium ordine constitisset, præsentem in Eucharistiæ Sacramento Dominum alloquens, omnes eius cruciatus, quos optimè nouerat, memoriaq; tenebat, sigillatim ita recensuit, vt vniuersi generis humani redemptionem æquè sibi vni, ac cæteris omnibus applicaret; idq; eo animi sensu, ac dispositione verborum, vt omnes in sui admirationem converteret. Vbi perorauit, flagris in sua terga cœpit sæuire tanta cum perseuerantia, vt eum cohibere necesse fuerit.*

Ex Annuis Iaponicis Anni M. D. XCII. *Tot fiunt pœnitentiæ, & disciplinæ vsque ad profusionem sanguinis,*

nis, vt mirum non sit, illas, cum meritis, & sanguine Christi redemptoris nostri coniunctas, tam salutares effectus producere. Certè, si Europæi oculis vsurparent diuerberationes, quæ fiunt in his regionibus, non dubium, quin starent attoniti. Multis enim in locis ne femina quidem est, quamuis nobilis, nullus eques, licet primarius, qui non aut palàm, aut secretò disciplinam crebrius faciant vsque ad sanguinem. Quod, vt particulatim magis intelligatur, capita aliquot adiungam, ex literis diuersorum Patrum collecta. In Epistola cuiusdam Patris, data Arie, sunt hæc verba: Quadragesima tantus fuit deuotionis ardor, vt quotidie viginti, vel triginta per vias publicas se ad sanguinem affligerent. Die autem Veneris erant plures centum. Omitto eos, qui absoluta concione de passione, post salutationem Angelicam in se desæuiebant, quorum numerus iniri non potest. Nam tunc, neque senes, licet iam deuexa ætate; neque fœminæ, quantumuis illustres, & vetulæ, nec pueri sibi pepercerunt, maculas suas leues proprio sanguine diluentes. Et est inter hos vir octogenarius; qui quotidie disciplina aculeo configit se cruci.

Alius Pater Scimambara in hunc modum scribit: Per Quadragesimam, etsi nos delitesceremus, tam crebra erant flagellationes vsque ad profusionem sanguinis, vt necesse fuerit eas temperare: decretumque est, vt tantùm fierent noctu, maximè Scimambaræ, quò multi Ethnici aliunde confluere solent.

Alius Arima ita scribit: Inuenio multos Christianos, è primariis, qui Arimæ degunt; qui exposita vitæ suæ ratione, mihi affirmarunt, se à tempore inchoatæ persecutionis, ad multa opera obstrictos voto; alios, vt quotidie vnam faciant disciplinam; alios, vt ad hanc intentionem quotidie vnum recitent Rosarium. Alios quoque, vt ter quaque hebdomade

ieiunent, & semel disciplinam adiungant. Multos inuenio paratos ad mortem nobiscum perferendam, si Quabacondonus persecutionem prosequatur.

Domina Maria Arimondoni socrus, femina valdè illustris, sæpius hieme superiore, post auditum sacrum Missæ, in summo frigore, densisqúe niuibus, nudis pedibus profecta est ad B. Virginis ædem in Chitaoca; ad quem locum, longo itinere à propugnaculo distinctum, non nisi transmissis variis riuulis, perueniri potuit. Tota verò Quadragesima ieiunauit, nulla vnquam facta collatione, vel cænula, & ter quáque hebdomade flagro corpusculum crucifixit.

Ex Relatione historica de rebus à Societate in Iaponia gestis anno M. D. XCVI. *Aduenit Pater* (in Regnum Fingo) *die Martis septimanæ sanctæ, tantamqúe lætitiam, & consolationem attulit eius conspectus, vt verbis explicari non queat. Confeßi sunt, quotquot per temporis angustias potuere: necesse enim habebat Pater, se nocturno somno, quieteque necessaria priuare, vt piis eorum votis, & precibus faceret satis. Quaque nocte magnus eorum numerus in aulam quandam confluebant; & postquam aliquod tempus orationi tribuissent, in sua terga ipsi acriter desæuiebant. Die Veneris sancta, quàm plurimi conferebant se ad Crucem, in monte iactu vnius sclopeti à propugnaculo disiuncto erectam, omnesqúe toto itinere, tam in itu, quam in reditu vsque ad sanguinem magna religione se diuerberabant. Inter quos nudis pedibus incedebant ipse propugnaculi Præfectus, & cæteri nobiles. Qui, vt domum reuertêre, habitu mutato, pro more suo venerunt visitatum Patrem de rebus piis audituri, tam hilari, & immoto vultu, ac si disciplinam nunquam attigissent. Gentiles hac pœnitentiæ asperitate, concordia, & amore Christianorum permoti, aditum ad verbum Dei sibi patefieri*

petiue-

petiuerunt; quo patefacto, quadraginta ex iis, iam adulti in Christianorum ordinem adscribi voluêre.

In eadem Relatione de nobili quadam matrona in Insula Schichi: *Quotidie audiebat sacrum Missæ, & lectionem aliquam spiritualem, vel res gestas Sanctorum audiebat, vel legebat. Confitebatur, & communicabat frequenter, & idem volebat facere alios suos. Die Veneris faciebat disciplinam, & ieiunabat, atque alia plura ex deuotione faciebat. Hebdomade sancta occultè se ad sanguinem vsq; cædebat: sic prorsus, vt de moderatione admoneri debuerit. Sicut ad misericordiam à natura propensa est, ita in eleemosynis faciendis, assidua est, & perliberalis.*

Ibidem. *Tota Quadragesima nihilo discrepauit ab hebdomade sancta. nam non feria sexta tantùm, sed etiam magna parte septimanæ facta sunt diuerberationes ad sanguinem. Pœnarum varia genera omnes, vsque ad pueros ipsos, sponte subiêre. Quidam se alligabant cruci, & brachiis bina saxa appendebant, vt difficulter progredi possent. Alij se in limen Ecclesiæ abiecerant, vt pedibus ingredientium calcarentur: quod magnam multis attulit admirationem, maximè quòd nullus eis autor talia faciendi fuisset.*

Eadem Relatio de Christianis Arimensibus, & finitimis: *Tempore Quadragesimæ magnus exstitit ardor, multæ flagellationes vsque ad sanguinem. Quoque die Veneris sermo habitus est de Passione: quo absoluto, Christiani vnà simul faciebant disciplinam. Idem factum in villis circum Arimam, opera Patrum, fratrumq; & clericorum, qui eodem die varia loca obibant.*

De Maxentia nobili vidua ibidem: *Aspero cilicio noctu, diúque carnem domabat, aliquot dies sine vllo cibo, reliquos verò, tenuissimo, nempe cruda oriza nõnihil in aqua madefa-*

defacta, transigebat. Qualibet nocte in corpus suum, licet tenellum, flagro grassabatur, ac bis quidem vsque ad sanguinis profusionem. Toto Quadragesimæ tempore bis templum adiit, manè, & vesperi, ac vesperi quidem aliquoties venit pedibus nudis. Lecto nunquam per dies eosdem vsa. Ante mediam noctem euigilabat, & vsque ad ortam lucem orationi instabat.

Lib.1.epist. Indic. Gaspar Villela in epistola 1557. Firando data; de Christianis Bungensibus. *Nullo Quadragesimæ die non habitus est sermo de rebus diuinis; aliquot sese quotidie diuerberantibus, cùm sexta quaque feria noctu de Passione Domini verba fierent, flagrisq́ue in corpus suum omnes domestici nostri vnà cum Iaponiis centum fermè sauirent, qui ad audiendum Euangelium ventitabant. Semihora dicendo absumebatur; inde Christi crucifixi proponebatur vexillum: postremo exstinctis luminibus veniebatur ad verbera, nec ante cædendi modus fiebat, quam Psalmus quinquagesimus ad finem vsque pronunciatus esset, idq́; ea pietatis significatione, vt cuiusuis animus ad religionem, & lacrymas commoueri posset.*

Lib.1.epist. Indic. Ioannes Fernandus de iisdem Bungensibus Christianis. *Bungensium Christianorum in suscepta religione maior in dies firmitas, atque constantia cernitur: quippe sese Pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis identidem muniunt: sacris concionibus adsunt; subinde se verberibus puniunt; aliáque pia munera diligenter obeunt: horarias preces quotidie recitant, cruciatibus Domini in horas singulas distributis, vt vniuersam eius historiæ seriem singulis diebus ea ratione percurrant.*

Lib.2 epist. Indic. *Quod ad Bungensem Ecclesiam attinet,* inquit Ludouicus Almeida, *quæ nunc quidem est Iaponis omnium maxima, admodum augetur in dies, (cœptis adspirante Domino)*

cùm

cùm virtus veteranorum, tum etiam tironum numerus; quorum tanta est pietas, vix vt possim verbis assequi: nonnulla tamen attingam, vt ex iis reliqua intelligatis. Primùm; nulla nox præterit; (vt mihi quidem videtur) quin verberationes in templo fiant, ac ferè semper omnium, quotquot ibidem eo tempore sunt, quibus in templo non licet, ij sese intra priuatos parietes cum vniuersa familia verberant, &c. Sed Bungensium studium, & pietas Quadragesimæ præsertim diebus elucet. Res profectò visenda. quippe in singulos annos crescit huius Ecclesiæ religio, ac pietas.

Arias Sanctius de iisdem Bungensibus: *Hebdomadæ sacræ diebus cùm cætera solennia ritè sunt persoluta, tum verò quinta feria in cœna Domini; posteaquam pauperum pedes de more abluti sunt, agmen processit eorum, qui sese flagris cædebant; sequebantur tredecim pueri ornatu funebri, passionis Domini argumenta gestantes: ij suum quisque carmen elata voce tanto cum animi sensu pronunciauerunt, vt nemo omnium, quotquot erant, in templo, lachrymas tenere potuerit.* *Lib. 2. epist. Indicarum.*

Annuæ Iaponicæ anni M. D. XCII. de Christianis tempore persecutionis à Quabacondono excitatæ: *Publicè quoque diuerberationes, aliasq́ pœnitentias, more consueto, faciunt.*

Ludouicus Froës in Annuis Iaponicis: *Describam, quam rationem tenuerint in spiritu fouendo, & conseruando Christiani ipso persecutionis æstu. Confecerunt inter se quasi quoddam sodalitium. Dominicis diebus in vna aliqua domo conuenêre, magnamqúe partem diei consumpsêre in pertractandis rebus ad salutem animæ pertinentibus; nunc legendo librum aliquem spiritualem, & conferendo de lectione audita; nunc simul orando, Deóque commendando populum Christianum, Patrumqúe liberationem: celebrando item in eisdem*

domibus festa totius anni primaria: & per Quadragesimam feriis sextis disciplinam faciendo, idque ad effusionem sanguinis, maximè hebdomada sancta. Memoriam enim retinent Calendarij, cuius exempla idiomate Iaponico impressa iam misimus. Ac Meaci quidem eiusmodi visuntur septem, vel octo Congregationes, non virorum modò, verùm etiam, licet separatim, feminarum, quæ his exercitiis vtuntur.

De Omuranis hæc refert historica Relatio. *Hoc anno insolitus fuit concursus, ardorque Christianorum, maximè in Quadragesima. Cùm in exitu concionis spectanda præberetur Christi crucifixi effigies, tot lacrymæ, & disciplinæ ad sanguinem vsque consecutæ sunt, vt omnes obstupescerent. Quadragesimæ diebus idem fecere per vias, & Ecclesiarum ianuas numero magno: tamque multa noua pœnarum genera excogitarunt, vt Patres veriti, ne fama rei ad vicinos Gentiles permanaret (nondum enim latere destitimus) mandauerint eis, vt moderatius agerent: ex villis enim ordine cateruatim Ecclesias visebant. Sed moderatio eiusmodi fuit, ac si nullum esset obstaculum, nullum Taici edictum: longè enim maiori & numero, & desiderio pœnitentiæ agendæ, & salutis suæ procurandæ confluxêre.*

Publicæ etiam pœnitentiæ loco iniungitur in Ecclesia Iaponensi flagellatio per disciplinas: *In quodam loco pauperes duo coniugati gemellos vno partu effuderant*, inquit historica Relatio, *consultò alterum è medio tollunt: res defertur ad confraternitatis Præfectum. Is communicato cum Patre consilio, ordinauit, vt vterque coram toto populo in Ecclesia in sua terga desæuirent vsque ad sanguinem, postquam frater noster immanitatem, & atrocitatem sceleris exposuisset. Quod factum Christianis magnæ fuit ædificationi; tum iis, qui præsentes aderant, tum absentibus, ad quorum aures rumore, & sermonibus perlatum est.* Si quis hoc scelus in Ecclesia

clesia Iaponensi perpetratum, miratur, is reuocet in memoriam illud D. Pauli de Ecclesia Corinthiorum ab ipsis Apostolis fundata, plantata, rigata. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio; qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit, &c.* Nimirum vbique sementi Dominicæ sua zizania Dæmon interspergit. 1. Cor. 15.

De Christianis Nangasachanis, & circumiacentium locorum eadem Relatio historica. *Die Mercurij Cinerum tantus Christianorum numerus ex vrbe, & proximis villis confluxit, vt studio primum locum obtinendi bis confregerint chori cancellos. Feriis sextis Quadragesimæ omnibus tantus numerus personatorum, tum virorum, tum feminarum, in terga sua per publicas vias ad sanguinem vsq; desæuiit, vt omnium in se oculos conuerterent, maximè cùm præfecti vrbis sint gentiles. Vtuntur autem saccis, vel domo propria illatis, vel commodatò à sodalitate Misericordiæ acceptis. Die Iouis sancto, rogatu seniorum populi, processio religione plena instituta est; in qua prodibant 90. qui se acerrimè diuerberarent: præter eos, qui interdiu idem fecerant. Alij, & alia pœnarum genera admodum grauia sponte subibant. Veneris sancto, ad venerationem Crucis, tanta turba accurrit, vt cerimoniæ illi finis imponi vix potuerit ante secundam post meridiem horam. Etsi enim multi constituti essent, qui submouerent irruentes, & septis arcerent, tamen impetum sustinere non potuerunt: itaque, vt reliquis ritibus perficiendis daretur locus, opus fuit effigiem crucifixi remouêre; ne omnes cogerentur in seram noctem exspectare, &c. Multi tempore Quadragesimæ non ieiuniis solùm, sed etiam aliis pœnis voluntariis, prout quemque deuotio mouerit, corpora sua castigant. nonnulli abstinent vino, alij piscibus; vescendo semper herbis, & leguminibus; alij*

Cia, quod est ordinarij potus genus; alij, aliis cibis, sine quibus difficulter tot dies transigere possunt. Multi etiam secundum consilium Apostoli, continent ab vxoribus, vt se impensius dedant pietatis officiis: alij ex longinquis regnis veniunt, vt Bungensi, & Amagucicano, quæ 40. aut 50. Leucarum interuallo absunt, tenui commeatu instructi, itinere difficillimo, tum ad faciendam de peccatis confessionem, tum ad visendas sacras ædes, & cruces, vt thesaur... aliquem meritorum apud Deum colligant, &c.

Disciplinas insuper religiosè domi asseruant: teste eadem Relatione, cum pietatem Christianorum in Meacensi regione degentium describit: *Sachiondonus Bigenni Saiscij nepos*, inquit Relatio, *petiuit à P. Rectore, vt ad ædes suas veniret. Venit Pater: ipse verò cum aliis aliquot Christianis eum deduxit ad Oratorium suum; in quo primò characteribus Iaponicis grandibus descripta erant præcepta Decalogi; deinde ostendebatur ingens Agnus Dei magni precij. Dein ex vna altaris parte erat effigies crucifixi, quam magni æstimabat: ab altera verò Deiparæ; ad pedem vero corona, & disciplina: cumqúe ibi omnes orauissent, postulauit à fratre P. Rectoris comite, vt nobili cuidam Domino, nomine Camondono, qui est princeps omnium, qui præsunt Taici operibus in Ozaca exstruendis, diuinam legem annunciaret; quod & fecit.*

De Christianis Ozacensibus eadem Relatio: *Omnibus diebus Veneris in Quadragesima, ducenti, vel trecenti, vtriusque sexus, & ætatis, à nullo vocati, vel impulsi, sponte conueniunt in Ecclesiam paulò ante solis occasum, vt corpora sua vsque ad sanguinem diuerberent, idqúe in præsentia mille aliquando Ethnicorum, qui ex remotis locis confluunt ad hoc spectaculum. Nonnunquam autem contingit venire maritum cum vxore: quæ, si Christiana sit, subuestibus*

ordina-

ordinariis induta est sacco, vel veste propria flagellantium; & vicina Ecclesia, abiecto superiore vestitu, opertoq́ vultu, mox ingerit se flagellantium turbæ. Omnes autem tanto feruore, & deuotione in supplicatione publica per vias in se desæuiunt, vt multi hoc exemplo commoti idolis suis renuncient, & baptismo suscepto Ecclesiam Christi ingrediantur.

Etiam ex voto disciplinas suscipere, Christianis istis vsitatum est. Petrus Gomez in Epistola Anno Christi M. D. XCVII. data. *Vir nobilis è B. Virginis sodalitate cum iter faceret ad bellum Coraianum, medio mari tantus imber effusus, tantaq́ caligine obductum est cælum, vt nemo scire posset, quo prora dirigenda esset. Itaq; ab omni humano consilio, auxilioq́ desertus, produxit sacram imaginem, & cum omnibus socius ante eam humi prostratus, Matri misericordiæ supplicauit, vti dignaretur in tanto discrimine sibi deuotis succurrere; vouebantq́ magnum numerum precum, disciplinarum, & ieiuniorum. Exaudiit benignissima patrona suorum preces: nam vnico temporis momento, omnis ventorum furor consedit, & tenebræ discussæ sunt, ac mox animaduerterunt se littori proximos, ac de salute securos, cum tamen ea tempestate multa nauigia fluctibus hausta fuissent. Cum verò salui in portum Coraianum inuecti fuissent, actis Deiparæ sanctissimæ gratiis, fidem suam votis statim persoluendis sedulò liberarunt.*

Capti insuper sunt Christiani à persecutoribus dum disciplinas facerent: Alexander Valignanus Epist. M. D. XCIX. data. *Postquam vicarius* (Taicosamæ) *idolorum cultor Tarazauandoni literas (idq́ ea, qua Christiani cultu singulari prosequuntur Christi Domini mortem, hebdomada) accepisset, mirum est, quanta cum diligentia, quod sibi fuerat præscriptum, perfecerit. Nam inter alia; Christiani duo, qui, dum se verberarent, vt suppliciorum acerbitates, quas Dei*

filius humani generis causa subiit, ad memoriam melius reuocarent, sunt comprehensi, magnum vitæ periculum adierunt, ipsiq; consules Nangasachiani ab eodem sunt vicario verborum contumeliis lacerati.

Exstant Tom. 2. Epist. Indicar. Antuerp. edit. M. DC. V.

Ex Iaponia migremus Manilam in Insulas Philippinas, quarum literæ Anno Redemptoris M. DC. I. scriptæ; *Initium quoq; hoc anno factum est alterius cuiusdam pij, & religiosi operis cum insigni fructu, vt, quod non solum per Quadragesimam tribus diebus, (id enim perpetuò fuit vsitatum) verum etiam singulis diebus Veneris, toto anno in Ecclesia nostra diuerberationes corporum vsurpentur. Maximus id temporis hominum est concursus ad audiendum Psalmum quinquagesimum, Miserere, cuius lugubri concentu plurimum ad deuotionem, & pœnitentiam agendam permouentur. Nec rarò interfuêre auditores regij, ac gubernator ipse cum aliis viris primariis.*

Eædem literæ, de quodam Indo: *Alius sic assuefactus erat corporis diuerberationi, vt cum die quodam iter faciendū esset cum certo agmine militum, nocturnis horis ab eo se abstraxerit, ne sanctum hoc exercitium prætermitteret. Id cum peditum Dux nocte obiens vigilias clam animaduertisset, arbitratus eum mali aliquid meditari, silentio insecutus est, ac tandem vidit eum subire cuiusdam Ecclesiæ cœmiterium; fusisq; ad Deum flexo vtroq; poplite orationibus in suum tergum acriter desæuire. Finita diuerberatione, propius accessit, & cernens esse Indum, multo amplius ædificatus est. Cumq; ab eo percontaretur, vnde oriundus esset, respondit, ex vico Manilano, seq; solitum confiteri nostris. Miratus Capitaneus tironē in Christiana religione tantam suæ salutis gerere curam, pecunia donatum ad suos redire iussit, ne consuetudine militū peruerteretur.* Eædē literæ de Christianis Alangalanis. Solent cantare, *Salue Regina, in honorem D. Virginis, & per*

Qua-

Quadragesimam Psalmum Miserere pro facienda Disciplina. Etiam Energumeni Disciplina cæsi, ab inuiso suo incola liberati sunt. *Christianus quidam grauiter diuexabatur à dæmone. Bonzus eius Dominus multiplici, & superstitioso suo ritu conatus est auertere vexationem, sed irrito conatu. Tandẽ implorauit auxilium fœminæ cuiusdam piæ, & Christianæ ibidem commorantis, vt, quandoquidem gentilitiæ preces nõ profuissent, illa Christiana pro Christiano suum Deum precaretur. Illa, non abnuit; &, cum initium orandi fecisset, magna fide arrepta disciplina energumenum verberauit. dæmon autem non ferens à muliere hoc genus verberis, dixit; si à verberatione cesses, recedam. Illa, contra subiecit; non se cessaturam, nisi promittat se ad hominem illum nunquam rediturum. Sic malignus spiritus recessit; & Bonzius ob efficaciam precum Christianarum attonitus hæsit.*

Ex Relatione de rebus Iaponicis Anno M.D.XCVII.

Ex literis Iaponicis Anni M. DC. III. *In pago quodam, Christianus homo simplex quidẽ, sed laudatæ vitæ, cum praua dæmonis consilia, quæ clam suggerebat animo, nollet audire, ab eo seueri, ac formidolosi Bonzij vultum, habitumque mentito, impetu agebatur in montes: atq; inibi totas noctes, attinebatur; genio, interea, modò in muliebrem, modò in aliã, atq; aliam formam sese vertente. Cum deniq; in rupes, atq; abrupta montium sublato suaderet, vt in subiectum mare se præcipitem daret: Christianus, qui inferni nebulonis dolos nõ obscurè agnoscebat, inclamato sanctißimo nomine* IESV, *ac Mariæ, è vestigio inimicam laruam ab se depulit. Id quartũ, quintumúe homini accidit, cum interea à mente alienior esse videretur. Amici Christianam fœminam, quæ eo loco inter suos fidei ardore præstans, quoscunq; poterat, pertrahebat ad pœnitentiam: quid facto opus sit, rogant. Illa, probè eum verberibus accipi iubet. Parent illi. Atq; ex eo tempore æger belle admodum habere cœpit.*

Adda-

Addamus & hoc coronidis vice; lib. 1. de disciplinis cap. 10. fecimus mentionem disciplinarum & flagelli, quo carnem suam B.P. Franciscus Xauerius castigare solebat: sed quia hæc disertius tradũntur lib. 2. Epist. Indicarum in Epistola quadam Ariæ Sanctij, ideo hic percensere placet. *Nec minore cura senex traditum sibi ab eodẽ seruabat flagellum, quo singuli Christiani interdum (nec enim sæpius permittebat ille, veritus ne vsu nimio absumeretur) sese cædere consueuerant; quod eam rem non solam animis, verum etiam corporibus prodesse diuinitus intelligerent. Itaq; mulier ipsa, quam diximus, morbo grauissimo implicita, cum varia medicamenta frustra tentasset, ad ipsum flagellum postremo confugiens, Francisci Xauerij, vt putandum est, meritis continuò in pristinam valetudinem est restituta.* Idem refertur in

Lib. 3. Epist. Indicarum. Epistola Aloisij Almeidæ data M. D. LXII.

Hactenus de disciplinis Iaponicis & Indicis, quæ si tam gratæ accidant Prædicantibus, quàm aromata, quæ ex illis prouinciis aduehuntur, magnum operæpretium in hoc Catalogo ex variis monumentis colligendo me fecisse existimabo. Sin vt Europæas, sic Indicas quoq; & Iaponicas disciplinas subsannabunt, & pro stultitia ducent; parũ id Indi & Iapones curabunt, & ego vna cum illis, qui in his colligendis nõ tam Prædicantium rationem habeo, quàm aliorũ, qui cum S. Paulo corpus suũ

Psal 31. ὑπωπιάζειν *castigare* & *contundere & in seruitutem redigere* cupiunt. Prædicantibus Dauidicum illud carmen accinatur. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & freno maxillas eorum constringe,*

Prouerb. 26. quia scriptum est; *Flagellum equo, & camus asino.*

CAPVT

CAPVT X.

Vsus Disciplinarum ex Petro Blesensi ostensus. A Theologis numeratur Disciplina inter opera pœnitentiæ.

ERVDITVS auctor est Petrus Blesensis, cuius præclara monumenta collecta & euulgata sunt ante aliquot annos à P. Ioanne Busæo Societatis nostræ insigni Theologo. In iis exstat crebra disciplinarum mentio & commendatio, & ad eas suscipiendas cohortatio. Aliqua loca enotare, & Prædicantium leuitati opponere placuit. Epist. 11. *Quia te mundi voluptatibus totum hactenus immersisti, importabilia tibi omnino videntur, ciborum mutatio, vestimentorum asperitas, iugum obedientiæ, censura silentij, regularitas morum, & austeritas disciplinæ.*

Ibid. *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris & domesticus inimicus; hic est ignis in gremio, serpens in sinu, hæc est vxor hominis litigiosa, pessima caro nostra, quæ licet sit vexata doloribus,* &c. *flagellis trita, plagis cæsa, adhuc aculeis contradictionum hispida, rebellis,* &c. *in suum & animæ coniurat exitium,* &c.

Ibid. *Arripe arma sanctimoniæ, exercitium diuinæ militiæ, studiũ disciplinæ, pacatissimum fructum iustitiæ, & primitias felicitatis æternæ.*

Epist. 16. *Vide,* &c. *quàm sollicitè carnem tuam purgaueris ieiuniis & disciplinis.*

Epist. 27. de S. Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi. *A primitiuis adolescentiæ moribus, cœpit morum maturitate senescere, atque carnalis insolentiæ motus, vigiliis, ieiu-*

ieiuniis, disciplinis, cilicio, & iugis continentiæ balteo cohibere.

Idem Epist. 45. *Quod si præfatus electus* (Bathoniensis Episcopus) *aliquid attentauit in contumeliam Martyris* (S. Thomæ Cantuariensis) *illud expiauit asperitate cilicij, largioribus eleemosynis, lacrymis profusioribus, & austerioribus disciplinis.*

Idem Epistola 57. cui subiunxit rhythmos, & in his etiam istos. *Diu carnem studui subdere spiritui, fame, siti, verbere.*

Epistola 74. *Frequenter euenit, vt vni membro per aliud medeamur; dolent aures, & scuphæ* (cucurbitulæ) *humeris apponuntur: delictum cordis, fletus oculi purgat; peccauit manus, & pectus contunditur. Deliquerunt genitalia, & dorsum ponitur ad flagella.*

Epist. 102. Ad Radingensem Abbatem: *Te ad hoc duntaxat exhortor, vt in vigiliis, ieiuniis, disciplinis, & cæteris exercitiis spiritualibus ita modestiæ regulam teneas, ne in iacturam ministerij Deo debiti langueat corpus,* &c.

Epist. 126. De Odone Parisiensi Episcopo. *Insolentiam carnis & extraordinarios eius motus, quadam præminentiæ auctoritate cohibens, ipsam vigiliis, ieiuniis, disciplinis ancillari cogebat.*

Epist. 142. *In tanta necessitatis articulo, psallite sapienter, orate feruenter, instate vigiliis, ignitis compunctionibus, iubilationibus, arcanis lacrymis, gemitibus, disciplinis.*

Idem sermone sexto. *Macera carnem tuam. Assume disciplinam. Sed quàm pauci, qui ista faciant? Cum præcipitur ieiunare, ipse se excusat: Quomodo ieiunarem, & alij comederent? Et si præcipitur, assumere disciplinam, ipse respondet: Non potest pati natura mea: statim morerer.*

Lib.

Lib. de Iob cap. 2. *Testa saniem radere, est per pœnitentiam & disciplinam suas iniquitates abstergere, per testam enim, quæ aspera est, significatur pœnitentiæ asperitas, & austeritas disciplinæ.*

Lib. de Confessione Sacramentali. *Exercearis in lacrymis, vigiliis, ieiuniis, disciplinis: nec tibi videatur absurdum, si propter abstinentiam aliquando caput doleat, quod sæpius ab ebrietate doluit; si rugiat venter, quem frequens ingluuies suffocauit. Peccati ergo sanies non solùm abstergenda, sed abradenda est asperitate doloris. Tunc etenim cum beato Iob testa saniem radis, si districtiore pœnitentia sordidas delectationes abstergis.*

Idem in Inuectiua contra deprauatorem operum suorum: *Hi* (religiosi) *carnem deprimunt, spiritum erigunt, vitam in terra ducentes angelicam, Christo militant in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliarum excubiis, in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in confessionibus, in disciplinis, & lacrymis, in cælestium suspiriis, in ignitis compunctionibus, in iubilationibus arcanis, in excessibus mentis*, &c. Ibidem: *Ibi* (in monasteriis) *virtutum schola est, summus ibi modestiæ vsus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectus, omnium communicatio, disciplinæ vigor, lex obedientiæ, vinculum charitatis, & mutua obsequela. Verùm, molestus est tibi pœnitentiæ labor, abstinentia onerosa, importabilis disciplinæ austeritas, quæ sola est clauis innocentiæ, religionis anchora, custodia cordis, & peremptoria prorsus appetitus illiciti.* Lib. de Iob. cap. 1. *Duo sunt, quæ hominem mirabiliter à peccato conseruant, scilicet frequens confessio, & frequentior disciplina.*

In quem locum Blesensis editor & Scholiastes R. P. Ioannes Busæus noster; *Ex hoc loco aliisq; compluribus apparet,* DISCIPLINAM, *hoc est, proprij corporis diuerbe-*

rationem, (hoc quoq; ano Roma, totaq; Italia, Hispania, Indiis, & alibi receptam) ante annos quadringentos, & amplius fuisse in Gallia, & Anglia frequentatam: nec solùm apud Monastica vita cultores, sed etiam apud Clericos, & Laicos, Episcopos, Principes, Reges; vt liquet ex multis Epistolis. Nam, cum in Epistola 82. &, in Inuectiua, laudasset Cistertienses monachos, quod omnes clericos, & laicos in castiganda disciplinis carne superarent; mox apologiam clericorum subiiciens, ait; Putas eos omnes (*Clericos*) ita elongatos à Deo, vt eos aut gehennalis miseriæ timor, aut cælestis gloriæ beatitudo non excitet? Nunquid disciplinæ, & pœnitentiæ, & cæterorum, quæ ad spirituale pertinent exercitium, penitus sunt ignari? nunquid resina non est in Galaad?

In Epist. ad Cistercienses Monachos, commendat illos, quod præ cæteris inhæreant *religionis Apostolicis vestigiis, in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in confessionibus,* in DISCIPLINIS, in Psalmis, in humilitate, & hospitalitate, obedientia & charitate, & cæteris, quibus fructus vitæ seminatur. citant Centuriatores Cent. 12. cap. 6. colum. 935.

In instructione Episcopâli instruens Episcopum quendam: *Semper tibi,* inquit, *occultè vel ad disciplinam, vel ad lacrymas, vel ad alia, quæ citra hominis testimonium solus agere poteris, impone tibi iugum Dominicæ seruitutis.* Laudat idem Blessensis lib. 2. de charitate proximi cap. 61. Virginem quandam, *in partibus,* inquit, *nostris nominatissimam in abstinentiis, in orationum instantia, in lacrymis, in vigiliis, in disciplinis.*

Idem serm. 26. qui est in festo S. Petri ad Vincula, agens de difficultate, quam sentire solent illi, qui, deserto se-

to seculo, religiosam vitam amplectuntur, simul indicat, ad quæ pietatis exercitia tales transferri soleant. *Dura est ista translatio*, inquit, *& alicuius proprietatis, transire de comessationibus ad ieiunia, de carnibus ad olera, de sericis ad cilicia, de puluinaribus ad stramenta, de impunitate ad Verbera; &, vt in summa dicam; de propria voluntate ad iugum obedientia. Verè hac mutatio dextera excelsi.*

Non abnuo quædam ex prædictis locis referri posse ad Disciplinas, quæ aliena, non propria manu peraguntur: sed quia loca illa non adeo sunt perspicua, minimè ab aliis seiungi debuêre.

Solent Theologi inter opera pœnitentiæ & satisfactionis non rarò nominare disciplinas. Gabriel lect. 57. in Canonem: *Sunt quatuor modi generales* (suffragiorum, quibus defunctis subuenitur, oblationes sacerdotum, oratio, eleemosyna, ieiunium) *ad quos omnes alÿ reducuntur. Vnde ad ieiunium omnes carnis afflictiones, vt vestium asperitas, disciplina, peregrinatio, labor corporalis, & quacunque ad corporis afflictionem assumuntur, pertinent.*

Ioannes de Friburgo in Summa lib. 3. tit. 24. q. 108. *Flagella quadripertita sunt. Quadam consistunt in armis pænitentialibus, scilicet cinere, cilicio, & lacrymis. Alia in pectoris tunsione, genuflexione & disciplinis, &c.*

Dauid Augustanus in epistola ad Nouitios pro eorum informatione. *Primus* (actionum gradus) *sunt opera pænitentia, quibus corpus spiritui seruire cogitur, vt abstinentia, vigilia, disciplina, & similia.*

Vincentius libro 3. speculi Moralis dist. 18. parte 10. cap. 17. *Satisfactionis tres sunt partes principales, eleemosyna, ieiunium & oratio. Quadam sunt secundaria, qua ad has re-*

ducuntur, vt vigiliæ, peregrinationes, disciplina, & omnia opera carnem affligentia reducuntur ad ieiunium.

S. Bonauentura apud Carthusianum. 4. d. 15. q. 3. dicit ieiunium notione lata & laxa vocari *omnem afflictionem carnis in vigiliis, disciplinis, flagellis.*

Vitr. lib. histor. accid. cap. 8.

De Fulcone Sacerdote Iacobus Vitriacus. *Verbis eius tantam addidit* (Deus) *gratiam, vt multi puncti & compuncti, exutis vestibus & pedibus discalceatis, virgas seu corrigias in manu portantes ad pedes eius prosternerentur, peccata sua coram omnibus confitentes, &c.*

Polan. in cap. 11. Daniel.

Longè alius Caluinistis est sensus, ex quorum numero Polanus inter opera Antichristi numerat etiam hoc. *In Quadragesima pœnitentes personati flagellis seipsos flagellantes seminudi per plateas eunt.* Quis non miretur Antichristum fore carnis suæ tantum osorem ac contemptorem, vt publicè in eam sit flagellis animaduersurus?

Pouel. lib. 2. de Antichrist.

Pouelus Caluinista Anglus accenset *Flagellorum patientiam*, hoc est, vsum disciplinarum, *traditionibus Papisticis.* Caluinisticis certè ἐθελοθρησκείαις accenseri non potest: à quibus nihil est alienius, quàm punire peccata per flagellorum castigationem: *Et tamen necesse homini punire peccatum*, inquit B. Isidorus in Exhortatione ad pœnitentiam, & lib. 6. Originum cap. 19. *vt æternum non incurrat supplicium: nam à punitione pœnitentia nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo pœnitendo punit, quod malè admisit. Nam nihil aliud agunt, quos veraciter pœnitet, nisi, vt quod malè fecerint, impunitum esse non sinant.* Sed nil amplius his opus. O bone Lutherus aliam longè compendiosiorem peccata expiandi monstrauit rationem, & præparationem redeundi cum Deo in gratiam; *Præparatio,*

ratio, inquit Lutherus, *qua Domino paramus viam*, iuxta Baptistæ hortamentum, *non consistit in hoc, vt te precibus, ieiuniis, corporis castigationibus, & propriis operibus dignè præparare velis, prout nunc omnes concionatores, stulti & fatui in Aduentu tradunt; sed est præparatio spiritualis, quæ consistit in exacta agnitione & confessione, quod scilicet ineptus sis, peccator, egenus, damnatus, miser, cum vniuersis operibus, quæ facere potes. Tale cor, quò magis hoc modo affectum est, eò magis præparat viam Domino, etiamsi interea nihil nisi vinum Maluaticum biberet, & super rosas incederet*, **vnd nicht ein Wort bettet:** *neque vel verbulum precandi gratia faceret.* *Luth. in Postil. Dom. 4. Aduēt.*

O terque quaterque beatos Lutheranos, qui potando vinum Creticum, nullasque preces fundendo, & ab omni piorum operum exercitatione desistendo, remissionem scelerum suorum consequi, cum Deo in gratiam redire, & vitam tandem æternam obtinere possunt; dummodo se agnoscant nauci ac nihili; nulliusque pretij & valoris. O amabilem ad cœlos perueniendi viam; Sanctis omnibus ignotam; quam si sciuissent non disciplinis, non ciliciis, non ieiuniis, non humicubationibus, non spinis, sed rosis, sed vino Maluatico, Falerno, Chio, & id genus aliis aspertimis austeritatibus corpora sua castigassent: neque dies noctesque precationi tribuissent; sed in vtramq; aurem cum Luthero & Lutheranis dormiuissent. Etiam defunctis, disciplinarum remedio, tanquam opere ad satisfactionem apto olim subuentum est. *Caluinista, qui edidit scriptores rerum Alamannicarum vbi agit de confraternitatib⁹, quas Monachi inter se inire solebant.* " *Vsus earum erat, vt quoties defunctus quispiam de coniuncto* " *& sociato Monasterio, collegio illi fuisset annunciatus, pro eo mox fierent Orationes, Vigiliæ, Missa, Disciplina & Eleemosyna.*

ſynæ. Quas pari ratione ab aliis quoque pro ſe poſt obitum fore ſinguli exſpectabant.

CAPVT XI.

De Diſciplinis Græcorum.

Lib.1 de Diſci plin cap.1. Lib.1. Vapul. cap.13.

OBIICIT Præco locum de Diſciplinis ex Climaco mihi à Radero *ſuggeſtum ac ſuppeditatum eſſe*. An non hoc ipſum palam profeſſus ſum? An non ingenui eſt profiteri, per quem profecerit? Tantum abeſt, vt me huius rei pudeat, vt cupiam à te quoque ſubminiſtrari aliquid, quo hoc argumentum de Græcorum Diſciplinis locupletius euadat: nam quòd ais; *Vnum Ieſuitam ſcripturientem à compluribus aliis circumſideri, & apum inſtar, circumuolitari, & Ieſuitas mercibus ſuis per mare, per terras tranſmiſſis & comportatis ſe mutuò ſtrenuè adiuuare*; id licet abſolutè verum non ſit, prout ab iſto calumnioſè proponitur, attamen licet verum eſſet, quid aliud inde ſequeretur; quàm vero conſonare, quod olim à Propheta ſcriptum; *Ecce quàm bonũ & quàm iucundũ, habitare fratres in vnum*, quid enim melius, quid iucundius, quàm verſari inter illos, & conferre cum illis, qui te, ſi quid lucubrationum mediteris, inſtruere, dirigere, & congreſſu ſuo doctiorem efficere queant? Quam felicitatem mihi obtigiſſe, ſi non agnoſcerem, meritò ingratus haberer: nam inter illos dego, qui, cum aliquid ſcribo, vel commentor, mihi longè optabiliores ſuppetias ferre poſſunt, quàm Prędicantium puſiones & pipiones; qui circumſilientes modò huc, modò illuc, ad progenitores ſuos vſque & vſq; pipilant, & illud ſuum *ἄττα* & *Tata* ingeminant. Sed ad rem.

Thes.460. Arbitratur Prædicans, *non multum laborandum, quid*

Eremi-

Eremitæ apud Climacum egerint. Videndum non quid, sed quo iure ab illis factum sit, quod factum est. Satis constare, Monachos illos Climaci, modum multis κλίμαξιν excessisse. Ius scilicet modumq; pulchrè obseruassent, si cum Luthero tuo, exuta religiosa veste & fronte, corpus sollicitè saginassent: ductaque moniali, celeusma illud sibi mutuo accinuissent: *Nos propalam,* inquit Lutherus, *& liberè coram vniuerso mundo contra omnes Diabolos, & sectas confitemur, nullam esse vitam, nec opus quamlibet bonum, nec vllas spirituales, & sublimes cogitationes, aut vllam propriam deuotionem, nec quidquid vspiam in terris nominari, aut fieri potest, quod nos sanctos facere possit. Et in summa, nihil esse in nobis, vnde sanctitas veniret. Siquidem ieiuniis corpus macerare, nudis pedibus ingredi, nihil habere proprij, multum humilitatis, & passionis præ se ferre, etiam perditi nebulones, & latrones, & Turcæ, & Gentiles norunt.* Etiam perditi nebulones ad cœnam Lutheranam ire, etiam perditi nebulones baptismum suscipere; etiam perditi nebulones verbum Lutheranum annunciare & audire & biblia lectitare possunt; an ideo propter istos Lutherani ad cœnam suam non accumbent, aut baptismum repudiabunt; aut verbum Lutheranum ex suggestu detonare & auscultare, & Biblia euoluere desinent? *Oues non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant,* inquit elegantissimè alicubi S. Augustinus.

Luth. in ca. 17. Ioann. Tomo 5. Lat. VVitteberg.

De significatione verbi κόπτω & aliorum, quæ ex Climaco enotaui, dicit Præco *se egisse Thesi tricesima octaua, & sequent.* Tu quære; si vel vnum verbum dicta Thesi & multis sequentibus repereris, tum Prædicantem istum non inuiti ex fumiuendulorum grege liberabimus. Thesi 113. mussat quidem aliquid de voculis κόπτομαι καὶ κοπετὸς, sed caue, ne quid aliud præter inanem

Addamus & hoc coronidis vice; lib. 1. de disciplinis cap. 10. fecimus mentionem disciplinarum & flagelli, quo carnem suam B.P. Franciscus Xauerius castigare solebat: sed quia hæc disertius traduntur lib. 2. Epist. Indicarum in Epistola quadam Ariæ Sanctij, ideo hic percensere placet. *Nec minore cura senex traditum sibi ab eodē seruabat flagellum, quo singuli Christiani interdum (nec enim sæpius permittebat ille, veritus ne vsu nimio absumeretur) sese cædere consueuerant; quod eam rem non solam animis, verum etiam corporibus prodesse diuinitus intelligerent. Itaq; mulier ipsa, quam diximus, morbo grauissimo implicita, cum varia medicamenta frustra tentasset, ad ipsum flagellum postremo confugiens, Francisci Xauerij, vt putandum est, meritis continuò in pristinam valetudinem est restituta.* Idem refertur in
Lib. 3. Epist. Indicarum. Epistola Aloisij Almeidæ data M. D. LXII.

Hactenus de disciplinis Iaponicis & Indicis, quæ si tam gratæ accidant Prædicantibus, quàm aromata, quæ ex illis prouinciis aduehuntur, magnum operæpretium in hoc Catalogo ex variis monumentis colligendo me fecisse existimabo. Sin vt Europæas, sic Indicas quoq; & Iaponicas disciplinas subsannabunt, & pro stultitia ducent; parū id Indi & Iapones curabunt, & ego vna cum illis, qui in his colligendis nō tam Prædicantium rationem habeo, quàm aliorū, qui cum S. Paulo corpus suū
Psal 31. *ὑπωπιάζειν castigare* & *contundere & in seruitutem redigere* cupiunt. Prædicantibus Dauidicum illud carmen accinatur. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & fræno maxillas eorum constringe,*
Prouerb. 26. quia scriptum est; *Flagellum equo, & camus asino.*

CAPVT

CAPVT X.

Vsus Disciplinarum ex Petro Blesensi ostensus. A Theologis numeratur Disciplina inter opera pœnitentiæ.

ERVDITVS auctor est Petrus Blesensis, cuius præclara monumenta collecta & euulgata sunt ante aliquot annos à P. Ioanne Busæo Societatis nostræ insigni Theologo. In iis exstat crebra disciplinarum mentio & commendatio, & ad eas suscipiendas cohortatio. Aliqua loca enotare, & Prædicantium leuitati opponere placuit. Epist. 11. *Quia te mundi voluptatibus totum hactenus immersisti, importabilia tibi omnino videntur, ciborum mutatio, vestimentorum asperitas, iugum obedientiæ, censura silentij, regularitas morum, & austeritas disciplinæ.*

Ibid. *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris & domesticus inimicus; hic est ignis in gremio, serpens in sinu, hæc est vxor hominis litigiosa, pessima caro nostra, quæ licet sit vexata doloribus,* &c. *flagellis trita, plagis cæsa, adhuc aculeis contradictionum hispida, rebellis,* &c. *in suum & animæ coniurat exitium,* &c.

Ibid. *Arripe arma sanctimoniæ, exercitium diuinæ militiæ, studiũ disciplinæ, pacatissimum fructum iustitiæ, & primitias felicitatis æternæ.*

Epist. 16. *Vide,* &c. *quàm sollicitè carnem tuam purgaueris ieiuniis & disciplinis.*

Epist. 27. de S. Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi. *A primitiuis adolescentiæ moribus, cœpit morum maturitate senescere, atque carnalis insolentiæ motus, vigiliis,*

ieiuniis, disciplinis, cilicio, & iugis continentiæ balteo cohibere.

Idem Epist. 45. *Quod si præfatus electus* (Bathoniensis Episcopus) *aliquid attentauit in contumeliam Martyris* (S. Thomæ Cantuariensis) *illud expiauit asperitate cilicij, largioribus eleemosynis, lacrymis profusioribus, & austerioribus disciplinis.*

Idem Epistola 57. cui subiunxit rhythmos, & in his etiam istos. *Diu carnem studui subdere spiritui, fame, siti, verbere.*

Epistola 74. *Frequenter euenit, vt vni membro per aliud medeamur; dolent aures, & scuphæ* (cucurbitulæ) *humeris apponuntur: delictum cordis, fletus oculi purgat; peccauit manus, & pectus contunditur. Deliquerunt genitalia, & dorsum ponitur ad flagella.*

Epist. 102. Ad Radingensem Abbatem: *Te ad hoc duntaxat exhortor, vt in vigiliis, ieiuniis, disciplinis, & cæteris exercitiis spiritualibus ita modestiæ regulam teneas, ne in iacturam ministerij Deo debiti langueat corpus*, &c.

Epist. 126. De Odone Parisiensi Episcopo. *Insolentiam carnis & extraordinarios eius motus, quadam præeminentiæ auctoritate cohibens, ipsam vigiliis, ieiuniis, disciplinis ancillari cogebat.*

Epist. 142. *In tanta necessitatis articulo, psallite sapienter, orate feruenter, instate vigiliis, ignitis compunctionibus, iubilationibus, arcanis lacrymis, gemitibus, disciplinis.*

Idem sermone sexto. *Macera carnem tuam. Assume disciplinam. Sed quàm pauci, qui ista faciant? Cum præcipitur ieiunare, ipse se excusat: Quomodo ieiunarem, & alij comederent? Et si præcipitur, assumere disciplinam, ipse respondet: Non potest pati natura mea: statim morerer.*

Lib.

Lib.de Iob cap. 2. *Testa saniem radere, est per pœnitentiam & disciplinam suas iniquitates abstergere, per testam enim, quæ aspera est, significatur pœnitentiæ asperitas, & austeritas disciplinæ.*

Lib.de Confessione Sacramentali. *Exercearis in lacrymis, vigiliis, ieiuniis, disciplinis: nec tibi videatur absurdum, si propter abstinentiam aliquando caput doleat, quod sæpius ab ebrietate doluit; si rugiat venter, quem frequens ingluuies suffocauit. Peccati ergo sanies non solùm abstergenda, sed abradenda est asperitate doloris. Tunc etenim cum beato Iob testa saniem radis, si districtiore pœnitentia sordidas delectationes abstergis.*

Idem in Inuectiua contra deprauatorem operum suorum: *Hi* (religiosi) *carnem depriment, spiritum erigunt, vitam in terra ducentes angelicam, Christo militant in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliarum excubiis, in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in confessionibus, in disciplinis, & lacrymis, in cælestium suspiriis, in ignitis compunctionibus, in iubilationibus arcanis, in excessibus mentis*, &c. Ibidem: *Ibi* (in monasteriis) *virtutum schola est, summus ibi modestiæ vsus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectus, omnium communicatio, disciplinæ vigor, lex obedientiæ, vinculum charitatis, & mutua obsequela. Verùm, molestus est tibi pœnitentiæ labor, abstinentia onerosa, importabilis disciplinæ austeritas, quæ sola est clauis innocentiæ, religionis anchora, custodia cordis, & peremptoria prorsus appetitus illiciti.* Lib. de Iob. cap. 1. *Duo sunt, quæ hominem mirabiliter à peccato conseruant, scilicet frequens confessio, & frequentior disciplina.*

In quem locum Blesensis editor & Scholiastes R. P. Ioannes Busæus noster; *Ex hoc loco aliisq; compluribus apparet, DISCIPLINAM, hoc est, proprij corporis diuerbe-*

rationem, (hoc quoq; anno Romæ, totaq; Italia, Hispania, Indiis, & alibi receptam) ante annos quadringentos, & amplius fuisse in Gallia, & Anglia frequentatam: nec solùm apud Monastica vita cultores, sed etiam apud Clericos, & Laicos, Episcopos, Principes, Reges; vt liquet ex multis Epistolis. Nam, cum in Epistola 82. &, in Inuectiua, laudasset Cistertienses monachos, quod omnes clericos, & laicos in castiganda disciplinis carne superarent; mox apologiam clericorum subiiciens, ait; Putas eos omnes (*Clericos*) ita elongatos à Deo, vt eos aut gehennalis miseriæ timor, aut cælestis gloriæ beatitudo non excitet? Nunquid disciplinæ, & pœnitentiæ, & cæterorum, quæ ad spirituale pertinent exercitium, penitus sunt ignari? nunquid resina non est in Galaad?

In Epist. ad Cistercienses Monachos, commendat illos, quod præ cæteris inhæreant *religionis Apostolicis vestigiis, in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in confessionibus,* in DISCIPLINIS, in Psalmis, in humilitate, & hospitalitate, obedientia & charitate, & cæteris, quibus fructus vitæ seminatur. citant Centuriatores Cent. 12. cap. 6. colum. 935.

In instructione Episcopali instruens Episcopum quendam: *Semper tibi,* inquit, *occultè vel ad disciplinam, vel ad lacrymas, vel ad alia, quæ citra hominis testimonium solus agere poteris, impone tibi iugum Dominicæ seruitutis.* Laudat idem Blessensis lib. 2. de charitate proximi cap. 61. Virginem quandam, *in partibus,* inquit, *nostris nominatissimam in abstinentiis, in orationum instantia, in lacrymis, in vigiliis, in disciplinis.*

Idem serm. 26. qui est in festo S. Petri ad Vincula, agens de difficultate, quam sentire solent illi, qui, deserto se-

to seculo, religiosam vitam amplectuntur, simul indicat, ad quæ pietatis exercitia tales transferri soleant. *Dura est ista translatio,* inquit, *& alicuius proprietatis, transire de comessationibus ad ieiunia, de carnibus ad olera, de sericis ad cilicia, de puluinaribus ad stramenta, de impunitate ad Verbera; &, vt in summa dicam; de propria voluntate ad iugum obedientiæ. Verè hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Non abnuo quædam ex prædictis locis referri posse ad Disciplinas, quæ aliena, non propria manu peraguntur: sed quia loca illa non adeo sunt perspicua, minimè ab aliis seiungi debuêre.

Solent Theologi inter opera pœnitentiæ & satisfactionis non rarò nominare disciplinas. Gabriel lect. 57. in Canonem: *Sunt quatuor modi generales* (suffragiorum, quibus defunctis subuenitur, oblationes sacerdotum, oratio, eleemosyna, ieiunium) *ad quos omnes alij reducuntur. Vnde ad ieiunium omnes carnis afflictiones, vt vestium asperitas, disciplina, peregrinatio, labor corporalis, & quæcunque ad corporis afflictionem assumuntur, pertinent.*

Ioannes de Friburgo in Summa lib. 3. tit. 24. q. 108. *Flagella quadripertita sunt. Quædam consistunt in armis pœnitentialibus, scilicet cinere, cilicio, & lacrymis. Alia in pectoris tunsione, genuflexione & disciplinis, &c.*

Dauid Augustanus in epistola ad Nouitios pro eorum informatione. *Primus* (actionum gradus) *sunt opera pœnitentiæ, quibus corpus spiritui seruire cogitur, vt abstinentia, vigiliæ, disciplina, & similia.*

Vincentius libro 3. speculi Moralis dist. 18. parte 10. cap. 17. *Satisfactionis tres sunt partes principales, eleemosyna, ieiunium & oratio. Quædam sunt secundariæ, quæ ad has reducun-*

ducuntur, vt vigiliæ, peregrinationes, disciplina, & omnia opera carnem affligentia reducuntur ad ieiunium.

S. Bonauentura apud Carthusianum. 4. d.15. q.3. dicit ieiunium notione lata & laxa vocari *omnem afflictionem carnis in vigiliis, disciplinis, flagellis.*

Vitr. lib. histor. accid. cap. 8.

De Fulcone Sacerdote Iacobus Vitriacus. *Verbis eius tantam addidit* (Deus) *gratiam, vt multi puncti & compuncti, exutis vestibus & pedibus discalceatis, virgas seu corrigias in manu portantes ad pedes eius prosternerentur, peccata sua coram omnibus confitentes, &c.*

Longè alius Caluinistis est sensus, ex quorum numero Polanus inter opera Antichristi numerat etiam hoc.

Polan. in cap. 11. Daniel.

In Quadragesima pœnitentes personati flagellis seipsos flagellantes seminudi per plateas eunt. Quis non miretur Antichristum fore carnis suæ tantum osorem ac contemptorem, vt publicè in eam sit flagellis animaduersurus?

Pouel. lib. 2. de Antichrist.

Pouelus Caluinista Anglus accenset *Flagellorum patientiam*, hoc est, vsum disciplinarum, *traditionibus Papisticis.* Caluinisticis certè *διὰ πρώτων* accenseri non potest: à quibus nihil est alienius, quàm punire peccata per flagellorum castigationem: *Et tamen necesse homini punire peccatum*, inquit B. Isidorus in Exhortatione ad pœnitentiam, & lib. 6. Originum cap. 19. *vt æternum non incurrat supplicium: nam à punitione pœnitentia nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo pœnitendo punit, quod malè admisit. Nam nihil aliud agunt, quos veraciter pœnitet, nisi, vt quod malè fecerint, impunitum esse non sinant.* Sed nil amplius his opus. O bone Lutherus aliam longè compendiosiorem peccata expiandi monstrauit rationem, & præparationem redeundi cum Deo in gratiam; *Præparatio,*

ratio, inquit Lutherus, *qua Domino paramus viam*, iuxta Baptistæ hortamentum, *non consistit in hoc, vt te precibus, ieiuniis, corporis castigationibus, & propriis operibus dignè præparare velis, prout nunc omnes concionatores, stulti & fatui in Aduentu tradunt; sed est præparatio spiritualis, quæ consistit in exacta agnitione & confessione, quod scilicet inepius sis, peccator, egenus, damnatus, miser, cum vniuersis operibus, quæ facere potes. Tale cor, quò magis hoc modo affectum est, eò magis præparat viam Domino, etiamsi interea nihil nisi vinum Maluaticum biberet, & super rosas incederet*, vnd nicht ein Wort bettet: *neque vel verbulum precandi gratia faceret.* Luth. in Postil. Dom. 4. Aduét.

O terque quaterque beatos Lutheranos, qui potando vinum Creticum, nullasque preces fundendo, & ab omni piorum operum exercitatione desistendo, remissionem scelerum suorum consequi, cum Deo in gratiam redire, & vitam tandem æternam obtinere possunt; dummodo se agnoscant nauci ac nihili; nulliusque pretij & valoris. O amabilem ad cœlos perueniendi viam, Sanctis omnibus ignotam; quam si sciuissent non disciplinis, non ciliciis, non ieiuniis, non humicubationibus, non spinis, sed rosis, sed vino Maluatico, Falerno, Chio, & id genus aliis asperrimis austeritatibus corpora sua castigassent: neque dies noctesque precationi tribuissent; sed in vtramq; aurem cum Luthero & Lutheranis dormiuissent. Etiam defunctis, disciplinarum remedio, tanq̃ opere ad satisfactionem apto olim subuentum est. *Caluinista, qui edidit scriptores rerum Alamannicarum vbi agit de confraternitatib⁹, quas Monachi inter se inire solebant.* " *Vsus earum erat, vt quoties defunctus quispiam de coniuncto & sociato Monasterio, collegio illi fuisset annunciatus, pro eo mox fierent Orationes, Vigiliæ, Missæ, Disciplinæ & Eleemosynæ.* "

ſynæ. Quas pari ratione ab aliis quoque pro ſe poſt obitum fore ſinguli exſpectabant.

CAPVT XI.

De Diſciplinis Græcorum.

Lib.1 de Diſci plin cap.1. Lib.1. Vapul. cap.13.

OBIICIT Præco locum de Diſciplinis ex Climaco mihi à Radero *ſuggeſtum ac ſuppeditatum eſſe*. An non hoc ipſum palam profeſſus ſum? An non ingenui eſt profiteri, per quem profecerit? Tantum abeſt, vt me huius rei pudeat, vt cupiam à te quoque ſubminiſtrari aliquid, quo hoc argumentum de Græcorum Diſciplinis locupletius euadat: nam quòd ais; *Vnum Ieſuitam ſcripturientem à compluribus aliis circumſideri, & apum inſtar, circumuolitari, & Ieſuitas mercibus ſuis per mare, per terras tranſmiſſis & comportatis ſe mutuò ſtrenuè adiuuare*; id licet abſolutè verum non ſit, prout ab iſto calumnioſè proponitur, attamen licet verum eſſet, quid aliud inde ſequeretur; quàm vero conſonare, quod olim à Propheta ſcriptum; *Ecce quàm bonũ & quàm iucundũ, habitare fratres in vnum*, quid enim melius, quid iucundius, quàm verſari inter illos, & conferre cum illis, qui te, ſi quid lucubrationum mediteris, inſtruere, dirigere, & congreſſu ſuo doctiorem efficere queant? Quam felicitatem mihi obtigiſſe, ſi non agnoſcerem, meritò ingratus haberer: nam inter illos dego, qui, cum aliquid ſcribo, vel commentor, mihi longè optabiliores ſuppetias ferre poſſunt, quàm Prędicantium puſiones & pipiones; qui circumſilientes modò huc, modò illuc, ad progenitores ſuos vſque & vſq; pipilant, & illud ſuum *ἄττα* & *Tata* ingeminant. Sed ad rem.

Theſ.460. Arbitratur Prædicans, *non multum laborandum, quid*

Eremi-

Eremitæ apud Climacum egerint. Videndum non quid, sed quo iure ab illis factum sit, quod factum est. Satis constare, Monachos illos Climaci, modum multis κλίμαξιν excessisse. Ius scilicet modumq; pulchrè obseruassent, si cum Luthero tuo, exuta religiosa veste & fronte, corpus sollicitè saginassent: ductaque moniali, celeusma illud sibi mutuo accinuissent: *Nos propalam*, inquit Lutherus, *& liberè coram vniuerso mundo contra omnes Diabolos, & sectas confitemur, nullam esse vitam, nec opus quamlibet bonum, nec vllas spirituales, & sublimes cogitationes, aut vllam propriam deuotionem, nec quidquid vspiam in terris nominari, aut fieri potest, quod nos sanctos facere possit. Et in summa, nihil esse in nobis, vnde sanctitas veniret. Siquidem ieiuniis corpus macerare, nudis pedibus ingredi, nihil habere proprij, multum humilitatis, & passionis præ se ferre, etiam perditi nebulones, & latrones, & Turcæ, & Gentiles norunt.* Etiam perditi nebulones ad cœnam Lutheranam ire, etiam perditi nebulones baptismum suscipere; etiam perditi nebulones verbum Lutheranum annunciare & audire & biblia lectitare possunt; an ideo propter istos Lutherani ad cœnam suam non accumbent, aut baptismum repudiabunt; aut verbum Lutheranum ex suggestu detonare & auscultare, & Biblia euoluere desinent? *Oues non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant*, inquit elegantissimè alicubi S. Augustinus.

Luth. in ca. 17. Ioann. Tomo 5. Lat. VVitebergꝫ.

De significatione verbi κόπτω & aliorum, quæ ex Climaco enotaui, dicit Præco *se egisse Thesi tricesima octaua, & sequent.* Tu quære; si vel vnum verbum dicta Thesi & multis sequentibus repereris, tum Prædicantem istum non inuiti ex fumiuendulorum grege liberabimus. Thesi 113. mussat quidem aliquid de voculis κόπτομαι καὶ κοπτὴς, sed caue, ne quid aliud præter inanem

R mussa-

mussationem, exspectes. Frustra eris, si quid amplius tibi promiseris.

Ex verbis *αἰκίζω* & *καταικίζω* admodum acutè colligit, Monachos istos *etiam ad mutilationem suorum membrorum processisse; item sese mutuò conuiciis lacerasse ac proscidisse; nam & has notiones verbis illis subiici*: quæritque ex me; *num existimem, propriorum membrorum truncationem & mutuam conuiciorum pugnam inter opera satisfactoria æquè ac flagellationem reponendam esse*. Respondeo, me non in hac, sed in longè alia opinione versari, nempe, Prædicantē, quid dicat, ignorare, & nec Climacum, nec Scholiasten eius intelligere: licet enim *αἰκίζειν* & *καταικίζειν* idem interdum sit, quod *mutilare*, & *indignè membra truncare*; quo minus tamen hoc sensu hoc loco hæc verba capiamus, obstant cum alia, tum ipse Climacus, & Helias; qui quid per *αἰκίζειν* & *καταικίζειν* accipiendum sit, declarant per hæc clariora: *ἑαυτοὺς ἐπιπλήσσοντας, ἑαυτοὺς πληκτικῶς βάλλοντας, καὶ πλήττοντας, ἑαυτοὺς κατέκοπτον*, & vt Margunius, vulgaris versionis Auctor, loquitur, *ἐδέρνασι τοὺς ἑαυτούς*, &c. Quæ omnia *verberationem* ac *percussionem*, non autem mutilationem significant. Quocirca cum postea de iisdem Eremitis in pœnitentiæ palæstra tam fortiter decertantibus, vsurpant verba *αἰκίζω* & *καταικίζω*, non mutilationem, sed verberationem eos adhibuisse indicant. Quis enim nescit *αἰκίζειν* & *καταικίζειν*, inter alia, idem esse quod *verberare*, tametsi non quomodocunque, sed validius & seuerius?

Ad illud de conuiciis, Respondeo, nec Climacum, nec Heliam dicere; Eremitas istos sibi mutuo maledicta & conuicia ingessisse; non enim aiunt; *ἀλλήλους*, *se inuicem*, sed *ἑαυτοὺς*, *seipsos*, *ἀτιμίαις καὶ ὕβρεσι διυπνίζοντας καὶ πλύνοντας*. Quilibet enim verbis asperis, & carni contumeliosis

meliosis ad diuinum obsequium, excusso veterno & languore, seipsum excitabat & exstimulabat; desidiam & inertiam sibi exprobrans, & quidem dictis ac factis acerbioribus & austerioribus; vt etiamnũ facere solent ij, qui diuinæ maiestatis, quam sceleribus offenderunt, magnitudine considerata, pœnas abs se reposcunt; non rarò enim ἀτιμίαις καὶ ὕβρεσι ἑαυτοὺς πλύνουσι, probrosis & acribus dictis sese castigant, quòd tam segnes ac languidi sint in exequendis pœnitentiæ operibus.

Exemplum de disciplinis Græcorum ex Hesychio, quod longè euidentissimum est, obscurare nititur Prædicans partim mẽdaciis, partim criminationibus. Mendacium est; *Librum hunc forsan esse spurium ac suppositi- tium, Iesuitas enim consueuisse suas merces sæpius sub antiquorum Patrum nominibus venditare*. Qui primus Hesychium ante 46. & quod excurrit, annos, ex Græco transtulit, Iesuita non fuit; nec Græcus Codex, ex quo vertit, ab vllo Iesuita descriptus est; vt nec ille, qui asseruatur in Bibliotheca Bauarica; nec illi, quos Gesnerus in Italicis Bibliothecis reperiri scribit. Quæ ergo hîc vel tenuissima suspicio de fraude à Iesuitis cõmissa oriri potest? Deinde Hesychij nostri eiusque operis meminit Photius in sua Bibliotheca, cuius accipe verba. *Legimus Sanctorum virorum librum, qui ipsorum vitas & rectè facta narrabat, ad spiritalem legentium profectum atq; vtilitatem, &c. Hic liber in duo & viginti contractus argumenta, eorum, cuiusq; vtilitatem & obtinendi rationem, variis narrationibus expositam exhibet, &c. Vigesimum secundum & vltimum caput sententias continet Hesychij Presbyteri Hierosolymitani: quibus & liber hic totus absoluitur, vtilissimus profectò iis, si quis alius, qui ad cœlestem hæreditatem parandam, mores suos componunt.*

Thes. 461.

Phot. Volum. 198.

Mendacium itidem est, Hesychium *non loqui de flagellatione spontanea, sed metaphoricè de cupiditatum carnis coërcitione & castigatione*. Probat hoc Prædicans: *Sicut seruus fugitiuus musto plenus, flagellis caditur in dorso, ita corpus acerrimè flagellis & pugnis cadendum est*, inquit Hesychius; hoc est, paraphraste & interprete Zeæmanno, *cupiditatibus carnis acerrimè resistendum est, quamuis haud leuiorem inde dolorem capiat, ac seruus ex flagellis.* O insignem commentatorem, ô egregium commentarium. Hesychius dicit; corpus pro modo delicti flagellis & pugnis acerrimè cædendum esse, ἐν οἷς πταίει, μάστιξιν αἰκιζέσθω καὶ πυγμαῖς ἀφειδῶς, ὡς δοῦλος δραπέτης γλεύκους μεμεστωμένος, *hac enim sunt verba Hesychij*, ἐν νώτῳ μαστιγίᾳ. Sic legit Interpres, quandoquidẽ vertit, *in dorso flagellis obnoxio, sed hoc nihil aliud significat, quàm carnis appetitionibus acerrimè obluctandum esse:* Perinde ac si diceret Præco, iudice iubẽte, vt corpus sontis acerrimè & intra & extra pomœriũ verberetur; nil aliud iuberi, quàm vt vitiis, & à ratione auersis cupiditatibus vehementissimè resistatur. Quid tam liquidum vnquam proferetur, quod tenebriones isti tenebris suis non inuoluant, vel saltem inuoluere tentent? Quis, cui vel mica candoris insit, non videt, quæ sit Hesychij mens, quis sensus? Ex cuius oratione nulla vnquam argumentatio rectè formabitur, nisi hæc vel similis. Corpus flagellis & pugnis cædi debet acerrimè, instar fugitiui serui, musto pleni. Ergo verè, nõ metaphoricè debet cædi, probatur consequentia. Quia seruus fugitiuus non metaphoricè, sed admodum propriè & realiter verberatur, & de tergo suo pensum soluit, ergo & corpus propriè, & non metaphoricè, verberandum est ex Hesychij sententia.

Tandem omnium optimam & efficacissimam solutionem

tionem adfert Prædicans, nimirum, *se & suos non adductum iri, vt propter vnum Hesychij locum, credant, flagellationem olim in Ecclesiis orientalibus vsitatam fuisse.* Sed nos tam hebetes non sumus, vt Hesychium, etiam solum, non antehabeamus socero ac genero, & vniuerso Prædicantium armento. Quanquam solus non est Hesychius; Idem testatur Climacus. Et omnes illi solitudinis indigenæ, quorum admiranda acta ipse in literas misit; de quibus paulò antea. Vt taceam librum illum, qui πιπερικὸν inscribitur citatum in Vapulante.

His adiungo nunc S. Nilum, S. Chrysostomo Synchronum, qui hæc in libro de octo vitiosis cogitationibus, cap. de Fornicatione. *Cum te libidinis ardore flagrare sentis, tum ingemiscens his verbis vtere. Heu me miserum, si Diabolum Deo, & impuritatem puritati anteposuero,* &c. *Sunt etiam nonnulli, qui* FVSTEM *quendam accipiant, seq; acerrimè feriant: atque ita dolore voluptatem protrudente ac propellente, ardorem eiusmodi restinguant.* Vt placet tibi, Præco, hæc Græca disciplina? Quam si Lutherus, & alij *Quinteuāgelici* nuptiatores amplecti voluissent; neque seipsos, neque sanctimoniales ex cœnobiis & parthenonibus eduxissent, & abduxissent, neque ad commentitium connubium sacrilegè conuolassent.

Tom. 5. Bibl. SS. PP. Et inter opera Damasceni edit. Billiana 1577. fol. 552. b.

Sed quia Hesychij Græca verba in publico non exstant, exscribam ea ex codice Bauarico. Latina ex versione Pici habes in *Vapulante* meo. οὐκ ἐνδέχεται, ὅτι μὴν δυνατὸν ὄφει συμφιλιάσαι, καὶ εἰς κόλπον βαστάσαι· οὐδὲ τὸ σῶμα πάντοθεν κολακεύειν, καὶ θεραπεύειν, καὶ ἀγαπῆσαι, ἐκτὸς τῶν χρειωδῶν τε καὶ ἀναγκαίων, καὶ ἐπιμελεῖσθαι, καὶ ἀρετῆς οὐρανίου. πέφυκε γὰρ ἡμῖν, τιτρώσκειν τὸν θάλποντα. τὸ δὲ μολύνειν ἐν ἡδοναῖς τὸν θεραπεύοντα. ἐν οἷς πλαίει, μάστιξιν αἰκιζέσθω, καὶ πυγμαῖς ἀφειδῶς, ὡς δοῦλος δραπέτης γλυκέως μεμεστωμένος * γνῶθι μαστιγίας

** C. B. γνωτῷ. νοεῖται.*

τὸν κύριον· μὴ καπηλοτριβήτω, μὴ ἀγνοείτω τὴν κυρίαν, καὶ ἀφθαρτίαν ἡ φθαρτὴ πηλὸς, καὶ δούλη καὶ νυκτερινή. ἕως ἐξόδου μὴ θαρρήσεις σου τῇ σαρκί· τὸ θέλημα φησὶ τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται· καὶ ἡ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος· οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ζῶντες θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται· ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν ἐν σαρκὶ, ἀλλὰ πνεύματι. Lego autem; καὶ πυγμαῖς ἀφειδῶς, tum quia ita legit Picus, vertit enim; *flagellis & pugnis cædatur acerrimè.* tum quia Codex Bauaricus, post vocabulum, αἰκιζέσθω repræsentat has literas; πυγ, quæ sat manifestum veræ lectionis vestigium exhibent. Codex item Bauaricus habet. γνώτω, imò γνώτῳ μαστιγίας τὸν κύριον, pro quo lego γνῶθι μαστιγίας, *agnoscat flagellis cæsus Dominum*: Sed, vt supra monui, ἐν νώτῳ μαστιγίᾳ, seu μαστιγίου legit Interpres; & illud τὸν κύριον coniungit cum sequentibus, μὴ καπηλοτριβήτω, *ne Dominum tractet, vt cauponem.* Rectior, meo sensu, est lectio nostra, γνῶθι τὸν κύριον, *seruus iste* (hoc est, corpus) verberibus *castigatus, agnoscat Dominum, neq; cauponas frequentet, vt solent serui nullius bonæ frugi.*

Secundus Hesychij locus ita habet Græcè. Οὐαὶ τὸν ἔσω ἀπὸ τῶν ἔξω. σφόδρα γὰρ λυπηθήσεται ὁ ἔνδον ἄνθρωπος ἀπὸ τῶν ἔξω αἰσθήσεων· καὶ λυπηθεὶς οὗτος μάστιξι χρήσεται κατὰ τῶν ἔξω αἰσθήσεων· ὁ πράξας τὸ ἐν τῷ γράμματι ἤδη ἐπέγνω τῷ ἐν τῷ θεωρήματι. *Væ interiori homini ab exteriore. Valde enim contristabitur* (hoc est, multis molestiis afficietur) *interior homo à sensibus externis. Tum hic* (interior homo) *molestia affectus flagellis vtetur aduersus exteriores sensus,* (id est, carnis rebellionem disciplina, vt nunc loquimur, coercebit.)

Porro, cur hoc castigationis genus Græcis minus vsitatum fuerit, caussam reddit Gabriel Archiepiscopus Philadelphiensis in literis ad amplissimum Dominum Ma-

Marcum Velserum II. virum Augustanum; vt dixi etiam in Prædicante Vapulante; hanc nimirũ, quod Græci alias corporis in seruitutem redigendi asperitates, & quidem rigidissimas, amplectantur, quod genus, perpetua fermè ieiunia, & abstinentia ab oleo & vino, exceptis pauculis diebus; vestes cilicinæ nec noctu nec interdiu deponendæ; statio pernox; vigiliæ propemodum supra naturam humanam: Fames, sitis, nuditas, & quæ hinc nascuntur incommoda, frigus, æstus; metanœæ, de quibus postea: Ferri immania pondera corpori imposita. Circulis ferreis brachia, pedes, lumbi circumdati, & alia huius sortis, quorum nonnulla retulimus in libris de Disciplinis, in Vapulante, & in Virgidemia; de quibus multa Theodoretus in Historia religiosa; & Menæa Græcorum. Quis non facilius in singulas dies vel noctes Disciplinis corpus, & quidem acriter, castigaret, quàm vitam illam rigidissimam cum Simeone, aliisque stylitis in columna duceret? Nimis longum foret, si omnia quæ sola Menæa subministrant, persequi instituerem. Paucula recitabo; reliqua indicasse contentus.

Vap. lib. 1. ca. 15.

Lib. 1. de Discipl. cap. 13. Vapul. lib. 1. ca. 18. Virg. p. 2. cap. 6.

Menolog. die 9. Ianuarij de Eustratio Thaumaturgo. Μηδὲν τοῦ αἰῶνος τούτου φροντίζων, μηδὲ κεκτημένος τι, πλὴν ἑνὸς τριχίνου καὶ μηλωτοῦ ἐφ' ᾧ ἀνακλινόμενος, ἐν ᾧ ἂν ἔτυχε τόπῳ, μικρᾶς ἀνέσεως ἀπήλαυεν. *Nihil huius sæculi curabat, neque quidquam possidebat, excepta veste cilicina & melote, in qua reclinatus aliquid quietis, in quocunque, quem sors obtulisset, loco, capere solebat.*

Menologium 11. Ianuarij de Theodosio Antiocheno Eremita, cuius res gestas etiam Theodoretus litteris mandauit in Philotheo. τριχοσύνθετα ἄμφια ἐνδεδυμένος βαρέα σίδηρα ἔνδον φέρων, ἓν μὲν ἐν αὐχένι, καὶ ἕτερον ἐν τῇ ὀσφύϊ

καὶ

καὶ δύο ἐν ἑκατέραις ταῖς χερσί. *Cilicinis vestibus indutus grauia ferri pondera ferebat, vnum quidem in collo, alterum in lumbis, & duo alia in vtraq; manu.* Vtrum difficilius; flagellis corpus subjicere, an tali rigore & asperitate vitam transmittere?

Mares anachoreta, vt est in Menologio, ἐνενήκοντα ἔτη βεβιωκώς, τοῖς ἐξ αἰγίων (αἰγείων) τριχῶν κατεσκευασμένοις ἱματίοις ἐχρῆτο: *Cum nonaginta annos vixisset, vsus est vestimentis ex pilis caprarum confectis*, hoc est, cilicinis.

Menol. die 5. Februarij de Theodosio Eremita. ἔνδυμα ἔχων τρίχινον, ἀλλὰ καὶ σιδήρου βαρὺ φορτίον ἔφερεν ἐν τῷ τραχήλῳ καὶ τῇ ὀσφύϊ, καὶ ταῖς χερσί. *Cilicinum habebat indumentum. Et praterea graue pondus ferri collo, lumbis & manibus gestabat.* Paucos Prædicantes reperiri arbitror, qui si aut Theodosiū imitari, aut quotidiè aliquot ictus carni infligere cogerentur, non hoc illi præferrent.

De Macario Alexandrino Menologium 19. Ianuarij. ὀχληθεὶς δὲ ὑπὸ δαίμονος τῆς πορνείας, ἀπελθὼν ἐν τῇ πανερήμῳ, κατέμεινε μῆνας ἕξ, ἔνθα οἱ κώνωπες μέγιστοι ὄντες, ὡς σφῆκες αὐτὸν σφοδρῶς κατετίτρωσκον, ὡς καὶ σπονδύλους καθ' ὅλου τοῦ σώματος ἐξενεγκεῖν. μετὰ γοῦν τοὺς ἓξ μῆνας, εἰς τὸ κελλίον αὐτοῦ ὑποστρέψας, ἀπὸ μόνης τῆς φωνῆς ἐγνωρίζετο, διὰ τὸ ἠλλοιῶσθαι τὸ σῶμα αὐτοῦ, καὶ ἐλεφαντιᾶσι παρεικάζεσθαι. *Exagitatus à spiritu fornicationis in solitudinem abiit, ibiq; sex menses mansit, vbi maximi culices*, instar vesparum, *eum vehementer admodum consauciarunt, vt calli toto corpore existerent. Post sex ergo menses ad cellam suam reuersus, sola voce agnoscebatur, quòd corpus eius esset mutatum, & Elephantiacis simile effectum.* Vtrum grauius: Talem pœnam, an disciplinam subire, si quis à spiritu fornicationis infestetur?

Meno-

Menologium Græcorum 4. die Ianuarij de sancta Apollinare seu Apollinaria. χρόνον δὲ συχνὸν ἐν τῷ χαλεπῷ ἐκείνῳ ἕλει διαρκέσασα, καὶ τὸ μακάριον αὐτῆς σῶμα, ὡς δέρμα χελώνης ἐκ τῶν δηγμάτων τῶν κατὰ τὸ ἕλος κωνώπων γινόμενον, ἐν τῇ σκήτῃ πρὸς τοὺς ἁγίους πατέρας ἔρχεται. *Multo tempore in molesta illa palude morata, ita vt beatum eius corpus ex morsibus culicum ea in palude versantium instar testudinis efficeretur, in Sceten ad sanctos Patres venit.*

Romano Cilici Eremitæ fuit vestis ἐκ τριχῶν, *cilicina*. Menol. 9. Februarij.

De Ioanne Eremita Menolog. 23. Februarij. τροφὴ δὲ ἦν αὐτῷ ἄρτος καὶ ἅλας, ἐσθὴς ἐκ τριχῶν, καὶ σιδήροις βαρυτάτοις ἅπαν τὸ σῶμα καθηλῶτο: ὑπὸ τούτων οὖν βαρυνόμενος, καὶ ὑπὸ τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων φλεγόμενος οὐδὲ μιᾶς ἠθέλησεν οὐδέποτε παραψυχῆς μεταλαχεῖν. *Cibus ei erat panis & sal. Vestimentum ex pilis; totumq; eius corpus grauissimo ferri pondere premebatur.* Quo licet prægrauaretur, & à solaribus radiis exureretur, nihil tamen vnquam solatij vel refocillationis admittere voluit.

Plura huius generis exempla Menæa suggerent. De S. Domnina vide Kalend. Martij. De Iosepho Hymnographo die 3. April. De S. Anthusa 12. April. De Theodoro Trichina 20. April. 8. Maij de S. Arsenio. 13. Maij de S. Pausicaco Episcopo. 24. Maij de Simeone Stylite. 6. Iun. de S. Attalo. 10. Iunij de S. Theophane. 17. Iunij de S. Bessarione. 26. Iunij de Dauide Thessalonicensi. De aspera pœnitentia Theodosij Iunioris Imperatoris, vide Menæum die 4. Augusti & 22. Octobris. 7. Augusti de Dometio Persa. 2. Septembris de Ioanne Constantinop. Patriarcha cui cognomentum, *Ieiunator*. 11. Septemb. de S. Theodora Alexandrina. 8. Octobris de S. Pelagia. Eod. die de S. Tarsia. 9. Oct. de SS. Andronico & Anastasia.

2. Nouembr. de S. Marciano. 3. eiusd. de S. Acepsima. 4. Nouemb. de S. Ioannicio. 6. eiusd. de S. Luca Monacho. 20. Nouemb. de S. Hosio Abbate. De S. Iacobo Anachoreta 26. Nouembr. 27. eiusdem de S. Romano. 9. Decembris. de S. Stephano. 11. Decembr. de Daniele Stylita. eodem die de S. Luca Stylite.

Eod. die de S. Arsenio in Latro, de quo dicit Menæum, τὸ μονότροπον εἵλετο σχῆμα, ὑπωπιάζων τὸ σῶμα, καὶ δοῦλον ποιῶν τῆς ψυχῆς. *Vitam solitariam elegit, castigans corpus suum, & in seruitutem spiritus redigens.* ὁ δὲ ὑπωπιασμὸς, νηστεία, ἀγρυπνία, χαμευνία, καὶ ἡ ἄλλη κακουχία τοῦ σώματος ἦν. *Castigatio hæc sita erat in ieiunio, in vigiliis, in humicubationibus.* πρὸς δὲ τούτοις καὶ σιδήρων βάρει ἐστενοχώρει τὴν σάρκα. *Adhæc carnẽ quoque ferri pondere affligebat.* ἐσθὴς δὲ αὐτῷ τριχίνη ἅπαν κατατρύχουσα τὸ ἀπὸ τῶν σιδήρων ἐλλεῖπον μέρος τοῦ σώματος. Veste tegebatur cilicina, quæ totã illam partem corporis à ferro vacuam cruciabat.

16. Decembris. De Theophanone Imperatrice; inter cuius insignia opera etiam hoc celebratur. ἡ κλίνη δὲ αὐτῆς χρυσοϋφαῖς τάπησι κατεστρωμμένη τοῖς οἰκείοις ὡρᾶτο. ἡνίκα δὲ ἡ νὺξ κατέλαβε, ἐκεῖθεν ἀνισταμένη ψιαθίῳ καὶ τριχίνοις ῥάκεσι ἐν τῷ ἐδάφει κειμένοις τὴν ἀνάπαυσιν ἐποιεῖτο ὥραν ἐξ ὥρας ἀνισταμένη, καὶ τῷ θεῷ τὰς αἰνέσεις ἀναπέμπουσα. *Lectus eius videbatur familiaribus auro intertextis tapetibus stratus. At noctu surgens super humũ storea & cilicinis centonibus opertam, somnum capiebat, singulis horis inde exsurgens, Deoque debitas laudes decantans.*

De S. Stephano Iuniore Auctor, qui vitã eius scripsit. *Abdidit se in angustam cellulam, cui nullum tectum; sic per æstatem, solis ardore flagrabat, & per hyemem frigore rigebat. Ad hæc etiam vna melota, eaque parua ac vili, tegebatur, & stoream solam ad breuem somnum adhibebat. Quin etiã, tanquam huiusmodi ærumna non satis plena ac perfecta esset, ferro*

quoque

quoq; totum corpus cingebat. Idem Auctor de S. Auxentio. *S. Auxentius mulierum Monasterium ædificauit, & Trichinariam* nominauit; *vel ob itineris asperitatem ac difficultatem, vel etiam ob vestium ipsarum rigiditatem.*

De Græcorum Metanœis, quid sint, dixi in opere de Disciplinis, & in Vapulante. De his ita ad me scripsit Amplissimus Dominus *Marcus Velserus*, inclytæ Reipublicę Augustanę IIvir. Anno M. D C. V I I I. *Matthæus Archimandrita Cyri hîc est, elapsus ex Moscouica captiuitate: A Patriarcha enim Constantinopolitano Raphaële ad Demetrium eleemosynæ colligendæ caussa missus; eo caso, in custodiã datus est. Græcanicã metanœam coram ab eo exhiberi volui, & Heilbronnerum suũ in triclinio adesse optaui: didicisset sanè, quid metanœa nomine Græci hodie intelligant, Philadelphiensem rectius, quam omnes Prædicantes scire.* *Lib. 1. de Discipl. cap. 9. lib. 1. Vap. cap. 9. & 13.*

Transiit nomen Metanœæ simul cum re ad Latinos, vt alibi ostensum cum ex aliis, tum ex Petro Damiano, cuius etiam est hoc monitum. *Lentescant nunc genua crebris attrita metanœis, imò cætera membra diuersis exercitationibus edomentur: ne quorundam more durus postmodum stare videaris, & rigidus, & manimundulus, vt aiunt, quasi sacra Cereris oblaturus.*

Græci pœnitentiæ seu satisfactionis loco huiusmodi Metanœas iis, qui deliquerant, iniungebant. In Epitome Canonũ, quæ exstat Tomo primo Iuris Græcoromani, Tit. 3. sic præcipitur. *Qui post sacram μετάληψιν, communionẽ, vomuerit X L. dies à cõmunione abstinet sacra, Psalmum quinquagesimum quotidie decantans & quinquaginta metanœas peragens.* Interpres vertit & hic & alibi, *pœnitentias*; minus rectè, & nimis generaliter; quia Metanœa est peculiare pœnitentiæ, seu satisfactionis opus. Ibid. Ex eodem. *Furem condemnat Nesteuta* seu *Ieiunator*

ad vnum annum ξηροφαγοῦντα καὶ νηστεύοντα μέχρις ἑσπέρας, καὶ μετανοίας ποιοῦντα διακοσίας καὶ πεντήκοντα. Eidem Metanœarum pœnæ deputat idem Ieiunator *periuros*, *Magos*, *veneficos*, ſcortatores, mœchos. Violatori ſeu effractori ſepulchri C C. Metanœas iniungit; inceſtuoſo, quingentas, Polluto cum ſua nuru trecentas.

Erant iiſdem Græcis ſuæ itidē γονυκλισίαι, genuflexiones, diſtinctæ à metanœis. In prædicta Canonum Epitome imponuntur ei, qui fidem ſciens prudensque negauit, quotidianæ γονυκλισίαι centum ſeu ducentę: quæ etiam Latinis ignotæ non fuerunt, vt liquet ex libro 19. Burchardi; in cuius cap. 24. ita præcipitur, *Et ſeptuagies proſternat ſe in terram, & per ſingulas genuflexiones* Pater noſter *decantet*. Ibid. *Centies proſternat ſe in terram, & per ſingulas genuflexiones* Pater noſter *dicat*.

Quomodo Metanœæ peragerentur, planum quoque fit ex actis Stephani Grandimontēſis, prout alibi ex Vincentij ſpeculo retulimus; quæ etiam exſcripſit Caluiniſta Hoſpinianus libro de Origine Monachatus. *Præter* *fol.176.* *horas Canonicas genuflexiones innumerabiles terram deoſculando, & cum fronte naſoq; percutiendo faciebat; earumq; aſſiduitate manibus ac genibus in modum cameli callos contraxerat, & naſum in obliquum curuauerat.*

Lutheranus Cruſius in Turcogręcia ſua lib. 2. fol. 205. diuidit μετάνοιαν εἰς μεγάλην καὶ μικράν; Illam dicit eſſe, *cum quis toto corpore, ſine tamen genuum flexione, ſe ferè ad terrā vſq; antrorſum inclinat; hanc, cum ceruicem & caput duntaxat aliquo vſq; inclinat.* Meminit idem Lutheranus metanœæ lib. 3. pag. 222. *Metanœa*, inquit, *hic reuerentiam ſignificat, ſeu corporis inclinationem; inter orandum Græci faciunt* μετανοίας τρεῖς, *quando ter cruce ſe ſignant in fronte, in pectore, & terram verſus cum tribus inclinationibus corporis.*

CAPVT

CAPVT XII.

Dispelluntur nugæ & næniæ, quas Zeemannus in caput decimum quartum Vapulantis exspuit.

CAPITE 14. lib. 1. Vapulantis enumeraui noua exempla eorum, qui disciplinis sua corpora mulctarunt. Vbi Præco iterum *Lugendas* ingeminat, & conuicia, in quibus & hoc; *istos omnes superstitionis Papisticæ luto immersos fuisse; neque se motum iri, licet aliquot myriadas huiusmodi exemplorum in medium proferam.* Thes. 468. & seq.

Occurrit illud in assertione articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum Artic. 11. *Fateor, si pertinaciam suam nolit quispiam deponere, perdurabit, nec his flectetur. Et, quid mirum? cùm nec Christus omnibus potuerit sua persuadere. Hæc doctrina, quia sacra, & diuina est, vult, vt positis propriæ sententiæ & opinionis studiis, dociles, & ductiles sint tam auditores, quàm tractatores, sicut dicit Psal. 105. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Nullus contentiosus, aut peruicax huc intrabit: imò, in quam vnquam sententiam, quantumuis manifestam veritatis, contentiosus & peruicax induci potuit? Perpendat autem quiuis hæc sedato, & libero animo, seséq; docilem præbeat Deo, & sine dubio erudietur, & suauissima veritate capietur, &c.*

Produxeram exempla Caroli V. & Maximiliani I. Imperatorum. Vociferatur Gripus. *Quis non obstupescat, Suitam eò impudentiæ progredi, vt Imperatorum, etiam Augustissimorum, famam spurcidico suo ore lancinare, & inspectante toto imperio huiusmodi de ipsis scribere non erubescat, quæ illi vel nunquam fecerunt, vel certè æterna obliuione sepulta esse voluerunt.* Pacatè, Præco, pacatè, ne sæui: ne bac-

chare, ne Baccha progenitus videare. Nam I. ea ſcripſi, quæ publicis literarum monumentis conſignata ſunt. II. Ea, quorum neminem Catholicorum aut pudet aut puduit. Quid enim probri, quid dedecoris in eo poſitum, ſi Imperator corpus diſciplina caſtigaſſe ſcribatur? Quid culpæ commiſit Cuſpinianus, quando in literas retulit; Maximilianum I. iuſſiſſe, vt corpus ſuum vita iam caſſum, flagellaretur? Et tamen ob hoc factum vocatur non modò Cuſpinianus, ſed & Maximiliani Confeſſarius à Zeæmanno ad ſcuticam; quæritat enim, *qua fronte Confeſſor ille, quæ Imperator ſecretius cum ipſo locutus dicitur, propalare, ipſequé Cuſpinianus ea publicis literarum monumentis mandare auſus fuerit?* Ea fronte & mente hoc vterq; fecit, qua paſſim receptum videmus, vt inſignia humilitatis, moderationis & modeſtiæ exempla, ea præſertim, quæ in principibus eluxerunt; aliis ad imitationem proponātur, nam vt vitium tanto eſt conſpectius in ſe, quanto is, qui peccat, maior habetur; ita & actus virtutis tanto eſt illuſtrior & commendabilior, quo maior & præcellentior eſt ille, qui actum illum exercet; præcipuè ſi ſit actus pœnitentiæ, humilitatis & Chriſtianæ ſubmiſſionis. Nec prohibuerat Maximilianus, ne res hæc euulgaretur: Et vt maximè prohibuiſſet; an ideo præiudicaſſet illi monito Chriſti: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c.* Item illi; *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* An non ipſi Chriſto hoc euenit; vt opera eius publicarentur, quamuis ea celata & occulta cuperet? Et quo magis id auebat, eò magis propalabantur. Num ideo illos, qui hoc faciebant, iniuriæ poſtulauit, aut, vt improbi facti auctores, accuſauit? *Marci 7.*

Obiicit Præco: *Fortè confeſſorem iſtum ſecreta illa ex fi-*

de.

de & vero non retulisse. Respondeo, omisso isto *Forte*, Prędicantem calumniari & clarissima quæq; vanis effugiis & ludibriis eludere velle. Quid enim certum firmumq; vlla in historia erit, si hæc cauillandi, imò conuiciandi libido semel publica approbatione publicum in vsum recipiatur? Ecce post X C. annos prorepit ex antro Laningano nescio quis spermologus, & in dubium vocat fidem Carthusiani illius, viri religiosissimi, qui Maximiliano à Confessionibus erat, itemq; Cuspiniani, qui eodem tempore vixit, scripsit, floruit. Quibus fidem habebimus? Num huic nudius tertius ex cauernis terrę egresso: an istis, quorum alter vsque ad extremum spiritum Imperatori Maximiliano adfuit & adstitit; & omnium secretorum conscius fuit?

At audi rem incredibilem & obstupesce Prædicantis impudentiam plusquam Prædicanticam. Minatur mihi virgas & extrema quęque, *quòd*, vt ait, *non intellexerim, quid Cuspinianus flagellandi verbo significare voluerit. Quid enim?* inquit. *Si flagellatum Cuspiniano idē, quod probè asseruatum* vel inclusum *significet?* O cor & medullam grammatici! ô acumen supra cuiuscunque stipitis acumen. *Flagellare*, idem est, quod diligenter *asseruare* & *includere*. Hinc si prætor lictori hoc det mandatum. Furem hunc fac flagelles acriter: nil aliud mandat; quàm vt eum probè asseruet ac includat. Et si præceptor discipulum; parens filium flagellari iubeat; nihil aliud iubet, quàm vt discipulus aut filius probè asseruetur ac includatur. Probat tamen Præco delirij sui acumen ex Martiale, cuius est iste versiculus.

Et cuius laxas arca flagellat opes.

Alibi:

Et libertinas arca flagellat opes.

Vbi

Turneb. lib. 21. Aduers. cap. 4. Vbi verbum *flagellare* idem est, quod studiosè & sollicitè custodire, & asseruare. *Flagellant*, inquit Turnebus, *diuitias & annonam, qui magnas arcis clausas opes tenent, & horreis fruges, quòd inuitas velut verberibus & carceribus coërcitas erumpere foras non sinunt.* Statius 2. Syl. dixit *strangulare opes*.

Non tibi sepositas infelix strangulat arca.

Diuitias.

Strangulantur nimirum & quasi suffocãtur opes, quando in arcarum abditos recessus contruduntur, neque in luminis auras exire permittuntur. Hæc & id genus alia notant quidem viri docti de Metaphorica τȣ̃ *flagellandi* significatione; At quis non videt eam Cuspiniano nec in mentem venisse, neque etiam, nisi ineptissimus esse statuisset, in mentem venire potuisse? Nam opes & annona ideo dicuntur ab Euclionibus flagellari & strangulari; quia eo fine conceduntur, & diuinitus humano generi tribuuntur, vt ad communem hominum vtilitatem redũdent. Quò enim opes, quò annona, quò fortuna, si non conceditur vti? Hæc finis, & quasi vltimus opum terminus est. Huc tendunt atque ex sua veluti natura propendent. Iam ergo quando in arca arctè continentur, neque foras progrediendi sit potestas; flagellantur quodammodo, hoc est, quasi verberibus sub seris & vectibus coërcentur: Num hoc de cadauere affirmari potest? Num finis & vsus cadaueris est, vt in publico versetur, & publicè exponatur, & in lucem proferatur; ita vt nisi id fiat; *flagellari*, hoc est, inuitum quasi & reluctans, contraque finem & institutum suum in abdito violenter detineri censendum sit? Certè nihil insulsius facere potuisset Cuspinianus, si hanc τȣ̃ *flagellandi* notionem ad cadauer transtulisset.

Deinde

Deinde Cuſpinianus id ſcripſit, quod Imperator prius præceperat. Quis autem credat, Imperatorem prçcepiſſe, vt corpus ſuum *flagellaretur*, hoc eſt, ita per vim quaſi coërceretur & detineretur, quo pacto poëta Martialis ab auaris diuitias in arcis *flagellari*, hoc eſt, coërceri & detineri dixit? ſcilicet Imperator Martialem adeo triuerat, vt etiam ſub extremum vitæ tempus lingua & ſtylo Martialis vteretur. Si Statium legiſſet, tum corpus ſuum *ſtrangulatum* triplici ſacco includi mandaſſet. Videtur Præco acumine ſuo palmam criticam Burdonico ſuo ſocero præripere velle. Quàm enim feliciter *verbera* commutarit in *verba* in vita S. Annonis Archiepiſcopi Colonienſis, vidimus haud ſine magna voluptate in Prædicante Vapulante, ſed acumen hoc pro hebeti & obtuſo haberi poteſt, ſi comparetur cum ſagacitate Zeæmanni, qua & Maximiliani Imp. & Cuſpiniani mentem ex Martiale explicuit. Digna eſt hæc tanta εὐστοχία vel Midæ auriculis; nam Imperator Maximilianus corpus ſuum *flagellatum*, hoc eſt, in arcam contruſum, & ibi violenter & inuitè, & quamuis foras prodire geſtiens, detentum, inuolui iuſſit *triplici ſacco, ex lino, ſerico albo, ac, quod vulgò vocamus, Damaſco; cum calce ac cinere mixto*. Poſtquam ergo iam flagellatum, hoc eſt; pecuniæ & annonæ inſtar, in arcam coniectum erat, & ibi quaſi per vim detinebatur, tum demum triplici ſacco circumdari & veſtiri debuit. O nugas nugaciſſimas, quas omnes odium diſciplinarum & verberationis ex pectore Præconis exprompſit: quarum necdum eſt finis. Subdit ergo Præco. *Quid? ſi Pius Imperator corpus ſuum ideo flagellatum appellarit, quòd curis, laboribus & morbis vehementer excruciatum fuerit?* Quid? ſi, vt antea, ita & hîc Præco deſipit ac ſtulteſcit? Quis enim credat, Imperatorem iam

morti vicinum, per griphos & ænigmata loqui voluisse; aut Cuspinianum per verba tam obscura & tenebricosa supremam Imperatoris voluntatem non tam explicasse quàm implicasse? Licet enim *flagella* tropicè significent ærumnas, molestias & calamitates, quibus homo in hac vita exercetur; quis tamen, nisi inexsaturabili erga disciplinas odio excæcatus, aliud quàm veram & realem flagellationem animo concipit, quādo quempiam mandantem audit; vt corpus suum prius flagellatum triplici sacco inuoluatur: nam si quis ad ærumnas, quas subiit, respiceret; alia & vsitata loquendi formula vteretur, aut verbo *flagellandi* ea apponeret, ex quorum adiectione statim sensus metaphoricus de ærumnis & miseriis toleratis innotesceret.

Oggerit Præco. *Inauditum & prodigij simile esse, corpus hominis defuncti, nedum tanti Imperatoris, virgis & flagellis dilacerare.* Non quæritur, quid Prædicanti inauditum vel monstri simile videatur; sed quid Imperator insigni humilitatis, modestiæ & pœnitentiæ exemplo de suo corpore mandauerit, quidque de hoc eius mandato Cuspinianus in literas retulerit. Nam vtrum *Iesuitæ corpora sua mortua flagellis cædant*, id similiter nihil ad rem facit; nam siue cædant, siue non cædant; verum est, verumque manebit, hoc, quod Cuspinianus literis mandauit, à Maximiliano Imperatore mandatum esse: de cuius solius mandato disputatur: non de vllius alterius facto.

Obstrepit Præco: *Etiamsi verum esset, quod de Maximiliano Cuspinianus scriptum reliquit; non tamen inde argumentum pro disciplinis Iesuiticis sumi posse.* Et cur non? An, qui, vt eximiam humilitatem & seriam de anteactæ vitæ noxis pœnitentiam ostenderet iussit, vt corpus iam exanime flagris afficeretur, meritò existimari potest, viuo-

num disciplinas contempsisse aut ipsammet huic exercitationi, cum adhuc vitam agitaret, non vacasse? Nosse cupit Præco, *num mortui flagellatio satisfactoria pro peccatis & meritoria vitæ æternæ fuerit.* Respondeo, fuisse non in se, quatenus erat flagellatio defuncti, omnique sensu ac ratione iam destituti, sed in antegressa voluntate qua Imperator ex Christiana submissione & malè commissorum salutari detestatione flagella cadaueri suo incuti voluit.

Et quia Prædicans simili prorsus impudentia negat quod de Philippi Catholici Hispaniarum Regis facto, & Caroli V. Imp. inuictissimi disciplina scripseram, testem producam omni exceptione maiorem Ioannem Franciscum Petit siue *Paruum* Caluinistam in Magno Chronico Holandiæ & Zelandiæ, &c. excuso Dordraci anno M. DC. I. lib. 16. pag. 720. vbi agit de morte Philippi Regis. Adscribam verba Gallica, qua lingua Auctor vsus est.

Au commencement de Septembre il fit venir en sa presence le Prince son fils & la Princesse sa fille, a ce assistant l' Archeuesque de Tolede & autres, disant à son fils, luy monstrant son corps, Voyez Prince que c' est de la grandeur de ce mõde, voyez ce miserable corps, toute ayde humaine est maintenant perdue, & qu'on auisat a son enterrement. Il fit apporter là son cercueil fait de cuyure, & metre vne teste de mort sur son buffet, & vne coronne d' or tout ioignant. Puis commanda a Iean Reys de Velasco l' vn de ses Chambellans, d'aller querir vn petit coffret, d'ou il fit tirer vne precieuse baque de pierreries, qu'en presence du Prince il donne a sa fille, disant, ceste bague vient de vostre mere, gardez la pour memoire. Il en fit pareillement tirer vn escrit, qu'il bail- M. D. XCVIII.

le au Prince, disant que c'estoit vne instruction comment il auroit a gouuerner ses Royaumes & pays. Puis il fit pareillement aucindre vn fouet au bout du quel apparoissoyent quelques marques de sang, disant en le faisant leuer en hault, que c'estoit du sang de son sang, combien que ce ne fut pas de son sang propre, mais de l'Empereur son pere, qui auec ce fouet souloit chastier son corps, & pour cela l'auoit il gardè, & leur voulut monstrer. Hæc Latinè ad verbum hanc reddunt sententiam.

Septembri ineunte Archiepiscopo Toletano, aliisq; præsentibus vtrumque Principem, filium pariter ác filiam accersi iußit, & filio quidem corpus suum commonstrans, hem, inquit. præquid vita huius amplitudo? aspice hocce miserum corpus, præcisa est omnis spes humana, funeri modò instādum. Tum suum, qui ex orichalco confectus erat, sarcophagum afferri, & simul demortui hominis cranium super abaco iuxta auream coronam statui imperat. Deinde Ioanni Velasco vni è regiis cubicularijs mandat, vti scriniolum apportet, vnde pretiosum è gemmis ceimelium depromens Infanti filiæ in Principis filij præsentia donat, matris id fuisse addens, quod ipsa proinde monumenti loco asseruaret. Tum scriptum quoddam indidem eximi iubet, quod filio tradens instructionem esse aiebat, qua regna sua, ac prouincias administraret. Proferri pariter etiam præcipit flagellum, in cuius parte inferiore nonnullæ conspiciebantur sanguineæ maculæ, quod dum ipsius iussu attolleretur, sanguis hic, inquit, de meo est sanguine: quanquam non propriè de ipsius, sed parentis eius esset sanguine, qui eo flagello corpus suum solitus erat castigare, ac propterea illud à se asseruatum iis monstrari voluit. Hæc Caluinista ille. Non dissimilia Ceruera Turrianus de excessu Philippi Regis lib. 3. cap. 8. qui Hispano sermone scripsit; Franciscus Guillimannus in

Lati-

Latinum ſermonem vertit. I nunc, Prædicans, frontem obdura & indura, & quæ de Philippo ac Carolo, potentiſſimis Monarchis, recenſui, conficta eſſe clamita, nec vel hilum, licet vanitatis manifeſtæ coarguaris & tenearis, quia non erubeſcere prima laus eſt Prædicantis. Fortè vociferaberis, more tuo, huius loci ab aliis indicium mihi factum. Non inficior, ſed glorior. Ampliſſimus Dominus *Marcus Velſerus* IIvir Auguſtanus, locum non modò indicauit, ſed & ex Chronico illo ſua manu Gallicè exſcriptum ad me miſit. An non hæc ſatis plena confeſſio? Num quid aliud cupis?

Verumenimuero, quod fauſtum fortunatumque ſit vniuerſæ Prædicantium nationi, euaſimus tandem ex aſperrimo flagellorum & flagellantium ſenticeto, & ad Lutheri amabilem & amœniſſimam, & vel ſua recordatione genero & ſocero gratiſſimam *Diſciplinam* prouecti ſumus. Expoſui illam ex Colloquiis menſalibus in Vapulante. Oggrunnit Præco. *Etiam Chriſtum, hominem voracem & potatorem vini appellatum eſſe.* At per calumniam, ô Prædicans, non verè. Lutherum verò tuum verè pro potatore habitum, & hoc itidem elogio iure cohoneſtatum eſſe; manifeſtè docet totus *Sobrius* Lutherus M. Conradi Andreæ. Et vt exempla alia non ſuppeterent, euidenter hoc euinceret horribile iſtud vitrum *catecheticum*, quo ſe & ſuos conuiuas Lutherus myſticè admodum *catechizauit*, hoc eſt, ad ſatietatem vſque flagellauit, adeo, vt ſicut alij poſtridie dolorem dorſi, ita iſti ſine dubio poſtridie, dolorẽ capitis ex tam vaſtis ictibus, ſibi per vitrum illud incuſſis, ſenſerint: præſertim cum antea per totam *collationem* ſeu merendam minoribus diſciplinarum cyathis proluſiſſent; neque niſi iam Baccho vtcunque ſaucij ad vaſtum illud

poculum processissent. Quod licet Lutherus bis tantum exhausisset; vt contendit Zeæmannus, an non *ventripotentiam* suam hoc ipso satis demonstrasset; cum Islebius, alioqui in Palęstra Lyæi non inualidus luctator, ne tertiam quidem partē illius vitri elambere quiuerit; & ad conspectum tanti vitri, flagelli tam nodosi & asperi, nauscarit.

Deinde textus planè indicat Lutherum vastum illum Scyphum, non omnibus vniuersim; sed singulis sigillatim propinasse; & toties euacuasse, quot *Merendistæ* ad illam merendam conuenerant: quia textus ita sonat. Da ließ im D. M. Luth. ein Glaß reichen/welches drey Reiffen hatte/dasselbige brachte vnd tranck Er mit Wein den Gästen zu. Hæc certe verba non vnum haustum, sed crebram vitri exinaniti resumptionem atque adeo validissimorum ictuum repetitionem significant; neque enim is, qui semel omnibus vniuersim cyathum, licet capacem, propinat, dicitur, einem zutrincken/sed qui sæpius propinando instat & vrget, vt sibi mensura pari respondeatur. Forsan Lutherus tradens Islebio catechisticum poculum, adiecit versiculos illos nonnihil per parodiam mutatos, quos iusto Ionæ cum vitro donauit, vt est in Colloquiis symposiacis tit. de Morbis.

Dat vitrum vitreo Islebio vitrum ipse Lutherus:
Se similem vt fragili noscat vterq; vitro.

Ein Glaß schenckt ein Glaß/einem andern Glaß.
Rath was ist daß?

Multi profectò vini capax vitrum fuit Lutherus; vt docet Catechisticum hoc vitrum toties ab illo vna in merenda epotum.

Quod

Quod Præco oggannit, etiam apud Papistas reperiri, qui vitra, licet capacia, exsiccare norint, non abnuo: illud tamen moneo, nullum apud Pontificios vnquam exstitisse, qui Apostolus, Euangelista, Propheta, & doctrinæ Euangelicæ reparator audierit, & tamen tantus, quantus Lutherus, vitriarius Disciplinator, hoc est, potator fuerit; Et de quo eiusmodi quid proditum fuerit, quale de Luthero prodidit Matthæsius concione XII. de Actis Lutheri. Auff denn Abend wann Luther nicht schlaffen köndte/must er ein Schlafftrüncklein thun/ wie er sich derwegen offt entschuldigt: Ihr jungen Gesellen/ sagt er/ vnserm Churfürsten/ vnnd mir alten Mann/ müst jhr ein Reichers trüncklein für gut halten/ wir müssen vnsern Polster vnd Küsse im Kändel suchen. *Vesperi, cum dormire non posset Lutherus, vino sæpe somnum conciliabat. Cuius rei gratia seipsum excusans, vos iuuenes, aiebat, vitio vertere non debetis nostro Electori, & mihi iam grandæuo, si quando largius bibimus. Cogimur enim puluinar & ceruical nostrum in cantharo quærere.* Vbi vel inprimis quæri posse video, num S. Paulus, vel alius ex Apostolorum numero puluinar suum in cantharo quæsierit.

CAPVT

poculum processissent. Quod licet Lutherus bis tantum exhausisset; vt contendit Zeæmannus, an non *ventripotentiam* suam hoc ipso satis demonstrasset; cum Islebius, alioqui in Palęstra Lyæi non inualidus luctator, ne tertiam quidem partē illius vitri clambere quiuerit; & ad conspectum tanti vitri, flagelli tam nodosi & asperi, nauscarit.

Deinde textus planè indicat Lutherum vastum illum Scyphum, non omnibus vniuersim; sed singulis sigillatim propinasse; & toties euacuasse, quot *Merendista* ad illam merendam conuenerant: quia textus ita sonat. Da ließ im D. M. Luth. ein Glaß reichen/welches drey Reiffen hatte/dasselbige brachte vnd tranck Er mit Wein den Gästen zu. Hæc certe verba non vnum haustum, sed crebram vitri exinaniti resumptionem atque adeo validissimorum ictuum repetitionem significant; neque enim is, qui semel omnibus vniuersim cyathum, licet capacem, propinat, dicitur, einem zutrincken/sed qui sæpius propinando instat & vrget, vt sibi mensura pari respondeatur. Forsan Lutherus tradens Islebio catechisticum poculum, adiecit versiculos illos nonnihil per parodiam mutatos, quos iusto Ionæ cum vitro donauit, vt est in Colloquiis sympoſiacis tit. de Morbis.

Dat vitrum vitreo Islebio vitrum ipse Lutherus:
Se similem vt fragili noscat vterq; vitro.
Ein Glaß schenckt ein Glaß/einem andern Glaß.
Rath was ist daß:

Multi profecto vini capax vitrum fuit Lutherus; vt docet Catechisticum hoc vitrum toties ab illo vna in merenda epotum.

Quod Præco oggannit, etiam apud Papistas reperiri, qui vitra, licet capacia, exsiccare norint, non abnuo: illud tamen moneo, nullum apud Pontificios vnquam exstitisse, qui Apostolus, Euangelista, Propheta, & doctrinæ Euangelicæ reparator audierit, & tamen tantus, quantus Lutherus, vitriarius Disciplinator, hoc est, potator fuerit; Et de quo eiusmodi quid proditum fuerit, quale de Luthero prodidit Matthæsius concione XII. de Actis Lutheri. Auff denn Abend wann Luther nicht schlaffen kondte/must er ein Schlafftrüncklein thun/ wie er sich derwegen offt entschuldigt: Ihr jungen Gesellen/sagt er/ vnserm Churfürsten/ vnnd mir alten Mann/ müst ihr ein Reichers trüncklein für gut halten/ wir müssen vnsern Polster vnd Küsse im Kändel suchen. *Vesperi, cum dormire non posset Lutherus, vino sæpe somnum conciliabat. Cuius rei gratia seipsum excusans, vos iuuenes, aiebat, vitio vertere non debetis nostro Electori, & mihi iam grandæuo, si quando largius bibimus. Cogimur enim puluinar & ceruical nostrum in cantharo quærere.* Vbi vel inprimis quæri posse video, num S. Paulus, vel alius ex Apostolorum numero puluinar suum in cantharo quæsierit.

CAPVT

CAPVT XIII.

Defensio reliquorum capitum libri primi Apologetici.

Thes. 474. & seq.

QVÆ capite decimoquinto & decimosexto lib. 1. Vapulantis scripsi, de disciplinis ab aliis dari & accipi solitis, ea Zeamannus non nisi mẽdaciis & cõuiciis exagitat, quæ vel refellere vel percensere supersedeo. Cui enim bono bonas horas in his maledictis cõfutandis insumerẽ, cum ipsa sese euertant & subruant, præsertim illa, quæ impuro ore in S. Annonem Archiepiscopum Coloniensem eructat; quæ tanti facienda sunt, quanti encomia, quibus iste Henricum IV. exornat.

De cilicio reperto Lauingæ in sepulchro secutus sum fidem & relationem eorum, quibus plus fidei est in minimi digiti minimo articulo, quàm tibi & tuo socero in toto corpore. Notum est, quàm hæc talia vafrè occulere, & ne ad Catholicorum notitiam emanent, studiosè cauere; & si emanarunt, quàm impudenter inficiari, vel falsis additamentis deprauare soleatis. Vociferationes & lœdoriæ tuæ nequaquam efficiunt, vt me credulitatis meæ pœniteat; imò si antea de historiæ veritate & sinceritate dubitassem; clamores effrenatissimæ tuæ linguæ, omnem nunc dubitationem ex animo eriperent.

Eodem candore tractat Prædicans exempla eorum, quibus flagella diuinitus sunt incussa secundum quietem, vel in vigilia; inter quos & D. Hieronymus, cuius nomen olim Luthero, & hodie plerisque Prædicantibus valde inuisum est. Hinc illud Lutheri in sanctum il-

lum

lum patrem maledictum, relatum à Matthæsio Concione XII. de Actis Lutheri, Hieronymus der gute Pater vnnd Nonnen lober / verstehet wenig vom Christenthumb. *Hieronymus bonus ille Pater & Nonnarum Encomiastes parum intelligit de Christianismo.* Zeæmannus verberationem illam, quam se in somno subiisse S. Hieronymus scribit; adscribit *febri*; & quidem perquam febriliter. Nam cum tot millia quotidie febricitent, & longè grauius, quàm olim D. Hieronymus; quî fit, quod nulli contingit, quod sibi contigisse S. Hieronymus refert? An non affectiones ex natura febris enasci consuetæ in plerisque reperiri solent? *Liuentes fateor habuisse me scapulas*, inquit S. Hieronymus, *plagas sensisse post somnum.* Vidistine vnquam vllum febricitantem, qui experrectus ex febrili somnio, humeros liuentes ex verberibus ostentarit? Quid, quod febrile Præconis somnium ipse D. Hieronymus disertè redarguit. *Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur; testis est tribunal illud, ante quod iacui.*

Exempla Disciplinarũ in Monachorũ & Canonicorum conuentibus & capitulis vsitatarũ & vsurpatarũ consuetis sannis & cachinnis excipit ac exsibilat Prædicans. Neque vllius sancti auctoritate & reuerentia mouetur, cum de indolentia scapularum & dorsi agitur; quia hanc Lutheri sui doctrinam in intima præcordia dimisit. *Non est satis; neque sequitur hac consequentia, si dicam; S. Benedictus est vir sanctus; sanctus Gregorius est vir probus & eximius. Quapropter quidquid egerunt ac docuerunt, id similiter à nobis faciendum & docendum est, quia totum illud proba ac probata nota est. Caue, hanc consecutionem inde deducas. quia ipsi etiam homines fuerunt.* (Quid fuit Lutherus? Quid Zeæmannus est? Quid Heilbrunnerus?) Luth. in 2. cap. Ioan.

Et textus hoc loco dicit: multos credidisse in Christum, quibus tamen Christus se non crediderit. Quis credat Christum se non credidisse Benedicto & Gregorio, quos ipse Lutherus *sanctos* nominat; Et credidisse se Luthero, quem pro *sancto* nemo agnoscit, nisi obscura quædam Veneris & Bacchi mancipia, gener, socer, Volcius; qui non aduertunt Lutherum vel mentitum esse, (quod absit à tali ac tanto Propheta in hoc saltem casu & argumento de S. Benedicto & S. Gregorio) cum duos istos titulo *sancti* afficit; non ioco, sed seriò; aut Luthero, non nisi iniustissimè *sancti* honoratissimam appellationem adscribi; cum vita S. Benedicti & S. Gregorij magis differant à vita & rebus gestis Lutheri, quàm lux à tenebris, bonum à malo, Christus ab Asmodæo. Quid tandem cum istis incœptabimus, quos non mouent, nisi bruta & crassa; cuiusmodi sunt illa, quæ ex Lutheri schola exstiterunt. Cætera omnia, licet à viris sanctissimis patrata & vsurpata, sordent, fœtent; næniisque ac superstitionibus deputantur. *Quid ergo facies?* inquit Lutherus. *Num omnes* (S. Benedictum, S. Gregorium, S. Franciscum, S. Bernardum) *damnabis? Nequaquam.* (Mentiris, quia dum te nõ damnare dicis; damnas, vt sequentia apertè ostendunt.) *Non damnabo Benedictum & alios, sed acceptis eorum libris, curram ad Christum* (ad proprium cerebrum) *& ad verbum eius tanquam ad Lydium lapidem* (imò ad propriam phantasiam) *& inter se conferam; & Regulam S. Francisci cum Euangelio Christi componam. Si doctrina eorum consentiat cum verbo Christi, eam amplectar; Si minus,* (hoc est, si cum Lutheri phantasia non concinuerit) dicam; *fieri potest, vt sis vir sanctus; sed ad tuam Regulam nunquam me pertrahes* (præsertim ad illam partem, quæ de Disciplinis dandis & accipiendis præcipit) *quia regula tua est humanum*

Luth. in cap. 2. Ioan.

manum commentum. Quare diabolus loco meo eam acceptet: (& disciplinam faciat vel accipiat, quia dorsum eius, tametsi validè pulsatum, nullum dolorem sentiet; quo priuilegio nullius Prædicantis scapulæ & lumbi gaudent.

De vsu & gestatione ciliciorum pari scurrilitate scribit ac fatuatur Zeæmannus: immemor eius, quod alibi concessit; ciliciorum, saccorum, ieiuniorum, vigiliarum & humicubationis consuetudinem à scripturis cõmendari, nec repudiari debere; si hæc talia vsurpentur ad carnis refrenationem, & ad seriæ de peccatis pœnitentiæ significationem. Nunc horum omnium oblitus furiosissimè debacchatur in omnes illos, quibus corporis per cilicia & alias asperitates castigatio vsitata fuit; & tot horret vndequaque conuiciorum spiculis, vt si quã thesin eius vel primoribus digitulis tangas, erinacium te tangere credas. Quid longis verborum anfractibus opus? Quisquis aliter vitam instituit, quàm Lutherus, is nimirum longè à vero tramite auius abiuit.

Quam infelix fuit mundus, cum in illo statu versaretur, de quo Lutherus. *Si S. Augustinus, Hieronymus, aut Ambrosius aliquid dixit aut docuit; oculos clausimus; nec vlterius inquisiuimus; sed totũ illud, absq; exactiore discussione, è vestigio arripuimus, & credidimus; rati, Ecclesiam & sanctos in veneratione haberi debere.* (Sed nunc diuersa sunt tempora. Soli Luthero nunc omnia deferuntur. Hic supra & extra omnem errorem euectus est. Hic non errat, licet Monialem sibi copulet.) *Concedo sanctos patres Ambrosium & Bernardum fidem habuisse, & ex electorum numero fuisse; sed Christus hîc testatur, etiam sanctos errare, & electos seduci posse.* (Maximè autem, Prædicantium iudicio, tunc errant, cum de corporis castigatione, de

Luth. in cap. 2. Ioan.

Disciplinis, ciliciis, ieiuniis & chameuniis verbo & exemplo concionantur. Hinc Lutherus eorum facta sibi pro viuendi regula non patitur præstitui.) *Nec curare, nec quærere debeo, quomodo S. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius vel Franciscus, & alij vixerint; sed vtrum Christum prædicent, nosq; ad illum deducant: in hoc enim cum illis sentire fidemq; eorum & doctrinam imitari debemus; alioqui minimè; omnia, quæ fecerunt, facere debeo* (& omnium minimè Disciplinæ dorsum substernere) *quia adhuc carnem & sanguinem gestant* (Lutherus scilicet extra carnē & sanguinem vixit.) *Dico igitur, me credere S. Ambrosium, Hieronymum, Bernardum sanctos & probos homines fuisse, sed non fido illis propterea; quia nemo ex illis pro me passus est & mortuus. Et quamuis eorum aliquis pro me mortem oppetiisset; mors tamen eius, ne hilum quidem ad Deum mihi propitiandum conduceret. Nemo cogitet, istos esse sanctiores & meliores Gedeone, Petro, Paulo, Dauide*, &c. Meliores certe fuêre omnibus Lutheris & Lutheranis.

Sed nunc conuiciis vniuersis, quæ Præco noster in postrema capita libri primi Apologetici pro Disciplinis, imò in ipsos sanctos ex olido suo gutture eructauit, opponamus alia eiusdem generis exempla, antea à nobis non prolata, vt Prædicans eò magis ringatur quo plures in hac pœnitentiæ palæstra decertasse conspexerit. Nec occurrit hoc loco commodior ratio scurrilia maledicta & scommata vlciscendi, quàm vt Prædicanti eam offam interam, quæ solo aspectu Prædicanticum stomachum funditus euertat & inuertat.

CAPVT

CAPVT XIV.

De Disciplinis ab aliis dari accipiq́ſolitis tam intra, quam extra Monaſticam vitam & profeſſionem.

MOs olim valdè frequens fuit,& hodie inuſitatus non eſt, præſertim religioſis quibuſdam familiis, vt diſciplinæ & corporis verberationes non peragãtur propriis, ſed alienis manibus. Poteſt autem quis dupliciter ab alio hanc pœnam accipere; primò iuſſus, & ad hoc condemnatus ob aliquod delictum ſuum. Secundò ſponte ſua, cum quis vltro, amore Dei, ſalutisque ſuæ cura, aut ob proximi vtilitatem huic caſtigationi ſeſe ſubiicit. Vtriuſque modi adferemus exempla. Si hic iterum Prædicantes occlament, tantum adferri exempla Monaſtica, & ex libris Monachorum; vnde tandem volunt, vt hæc promantur, cum aures occludant, quando ex ipſo ſacrarum literarum penu aliquid de corporis caſtigatione, de diſciplinis, ciliciis, & id genus aliis proferimus? Num cupiunt, vt ex libris & rebus geſtis Prædicantium exempla flagellationis & ciliciorum producamus? Quomodo producemus, cum procliuius ſit reperiri phœnicem auem, quam diſciplinam à Prædicante factam, aut geſtatum cilicium? In publico verſantur, multorumque manibus teruntur variæ Prædicantium vitæ, vt Lutheri, Melanchthonis, Caluini, Bezæ, Iunij, Martyris, in quibus vxores quidem, filios, & filias, nepotes & neptes, generos, nurus, affines, ſoceros, ſocrus & ſimilia reperies; at nullam corporis per diſciplinas verberationem; nullam veſtem cilicinam, nullum cingulum ex hiſpidis

ſetis vel pilis confectum, nullam zonam ferream, nullas vepres; nullas niues; nullum frigus, nullum gelu exſtinguendis libidinis ardoribus. Nunc ad ipſam exemplorum enumerationem accedamus.

Recitant Centuriatores Cent. 13. Bullam Innocentij III. de interfectoribus Conradi Herbipolenſis Epiſcopi, vbi inter cæteras, hanc pœnitētiam illis iniungit Pontifex. *Quandocunque aliquam ciuitatem Alemannicam poterunt ſecurè intrare, ad maiorē Eccleſiam nudi procedant, tantùm in braccis cum torta in collo & virgis in manu, & à Canonicis eiuſdem Eccleſiæ accipiant diſciplinam. Si verò quæſitum fuerit, cur hoc faciant, dicant; ſe hoc facere pro ſceleris perpetrati iam dicti ſatisfactione. Si quando fortè in ciuitate Herbipolenſi poterunt eſſe ſecuri, in Reſurrectione, Pentecoſte, Natiuitate Domini; ac in ſolennitate Maioris Eccleſiæ, videlicet S. Kiliani, exeant ciuitate, & nudi inde cum braccis tantùm, tortam in collo, & virgas deferentes in manu, & ad Miſſæ celebrationem Maioris ad Eccleſiam cathedralem accedant, & ante Epiſcopum & Canonicos proſternentes ſe in terram, petant humiliter & recipiant diſciplinam ab eis.* Citant Centuriatores Chronicum Hirſaugienſe; dicuntq́; , ſe hanc Innocentij Bullam recitare, *vt vanorum hominum vanitates lector Chriſtianus videat atque expendat.* Cur vani, qui hanc pœnitentiam impoſuerunt, & qui eam ſubierunt? An quia Epiſcopum trucidare res leuis eſt, vana & friuola iudicio Centuriatorum? Ex hoc more accipiendi diſciplinas à Canonicis, proficiſci videtur mos ille, quo homicidæ & alij publicè pœnitentes nudati terga, virgas ferre ſolent; hoc ipſo teſtantes, ſe dignos, qui virgis cædantur.

Horribiliter autem mētiuntur Centuriatores Centuria XI. cap. 6. col. 268. cum ita ſcribunt. *Romanorum*

(Ponti-

(Pontificum) *carnificinam & immanitatem, eorum mancipia, Episcopos plerosque sedulò æmulatos esse Petrus Damianus in epistola ad Paulum Cerebrosum testatur. Ait enim præcepisse; vt ad pœnitentiam venientes prius in oculis suis verberarentur. Et alios quidem coactos vicenas, alios tricenas, nonnullos quinquagenas, sexagenas, centenas, ducentenas, trecentenas plagas (ô carnifices Episcopos) pro delicti ratione sustinere, alios loricata vti veste, alios ferreis vinculis membra constringere, alios palmas & caput sæpius terræ allidere.*

Numeremus mendacia, dissimulato errore, quo ex *Petro* ad quem Damianus scribit, *Paulum* nobis procudunt. Exstat hęc epistola ad finem trium librorum meorum de Disciplinis, & inter epistolas Damiani à Constantino Caietano editas.

I. Mend. Testari Damianum *plerosque Episcopos æmulatos esse Romanorum carnificinam & immanitatem.* Nihil huius testatur Damianus. Legatur ipsa epistola.

II. Mend. *Præcepisse Episcopos, vt ad pœnitentiam venientes prius in oculis suis verberarentur*; cum hoc non pręceperint indefinitè *de omnibus*, sed *quosdam ad pœnitentiam venientes, prius in oculis suis verberari præcipiunt*, inquit Damianus. *Quosdam*, ait; nimirum grauioribus sceleribus ac flagitiis obstrictos.

III. Mend. *Alios coactos esse* (videlicet ab Episcopis) *vicenas, alios tricenas, alios quinquagenas plagas accipere.* Non dicit hoc Damianus de Episcopis; sed de Capitulis Monachorum: *Dic, obsecro, frater,* inquit Damianus, *vt cum pace tua loquar, detestaris illas, quæ ex more fiunt in capitulo disciplinas? Damnas fortaßis & hoc, quod sæpe fratri de leui qualibet offensione confesso, vicenas fortasse, vel, vt multum quinquagenas verberum plagas subire præcipimus?* nimirum in capitulo. Qua fronte ergo transferunt isti

hæc

hæc ad Epiſcopos,& ad pœnitentes ſæculares,extra Monaſtica capitula malè commiſſa debitis pœnis expiantes?

IV. Mend. *Teſtari Damianum, Epiſcopos quoſdam imponere nonnullis, ſexagenas, centenas, ducentenas, trecentenas plagas.* Nec de Epiſcopis, nec de Monachis hoc aſſerit Damianus, imò expreſsè affirmat, in Monachorum Capitulis ad ſummum quinquaginta plagas imponi, ac infligi. Quid ergo ſibi vult Damianus? Hoc, idque per gradationem. Si bonum & ſalutare eſt, quinquaginta ictus imponere & accipere; cur non & ſexaginta? Cur non & centenos? cur non & ducentos, cur non trecentos, cur non plures? ſi nimirum vires corporis huic oneri ferendo ſufficiant.

V. Mend. *Alios vti loricata veſte, iuſſu ſcilicet Epiſcoporum, & huius imperij teſtem eſſe Damianum.*

VI. Mend. *Alios ferreis vinculis membra conſtringere.*

VII. Mend. *Alios palmas & caput ſæpius terræ allidere, coactos ab Epiſcopis, & horum omnium teſtem eſſe Damianum.* Nihil de alliſu capitis Damianus; nihil de Epiſcopis, ſed tantum recenſet prædictis caſtigationibus quoſdam corpora ſua macerare conſueuiſſe; & inde concludit, ne verberationem quidem ſui ipſius eſſe illicitam, vt exiſtimabat Monachus ille Petrus, quem *Cerebroſum* nominat.

Addamus & hæc, quæ proximè ſubiiciunt Centuriatores. *Gerardo Flandriæ Epiſcopo, qui Schachorum (vt vocant) ludo præfuerat, pœnitentiam hanc iniunxit ipſe Petrus Damianus, vt ter Pſalterium meditando (ſcilicet) percurreret, quia ſponte ſua non lecturus videretur: ac duodecim pauperum pedes lauaret, cum totidem numiſmatum erogatione, nam manibus potiſſimum peccarat, ſeu pretium quod lucratus fuerat luſu,*

lusu, hoc est, rapinam, volebat in holocaustum conferri. Ibidem, inquiunt Centuriatores insigni hallucinatione; neque enim in epistola ad Petrum Cerebrosum, sed in ea, quæ est ad Alexandrum II. Romanum Pontificem & Hildebrandum S. R. E. Cardinalem Archidiaconum, hoc de ludo schachorum continetur. Ineptè vocant *Flandriæ* Episcopum, qui erat Florentiæ. Mentiuntur, Damianum voluisse, vt *lucrum lusus*, hoc est, vt sincerissimi isti interpretes interpretantur, *rapinam* pauperibus erogaret: neq; enim indicat Damianus, num præmium victoris in illo ludo fuerit pecunia; sed absolutè mandat, vt duodecim egenis, totidem numismata eroget. *Dam. lib. 1. epist. 19.*

Ex Synodo Gallicana à S. Bonifacio, & Francorum Episcopis sub Carolomanno duce habita, anno incarnat. Dominicæ DCC. XLII. *Statuimus similiter, vt post hanc synodum, quæ fuit 11. Kal. Maias, vt quisquis seruorum Dei, vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, vt in carcere pœnitentiam faciat, in pane, & aqua: &, si ordinatus presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & scorticatus videatur, & post Episcopus adaugeat. Si autem clericus, aut monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus vertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnales velata eadem pœnitentia contineantur; & radantur omnes capilli capitis earum.*

Martinus Monachus, apud Damianum, *ad extrema perueniens, cum eius totum corpus hydropis humore immaniter intumesceret; omnes nos, qui eius lectulo videbamur adsistere, petiit, vt eum dignaremur scopis sigillatim quilibet verberare: cumq; sic in fide perfecta & sancta fuisset confessione defunctus, cuidam postmodum fratri in visione apparuit. Erat autem in cuiusdam splendidissimæ regionis vernanti & florido* *Dam. lib. 6. epist. 26.*

nemore, candida decoratus stola & fulgido praeclarus affectu, &c.

Petrus Abbas lib. 2. Mirac. cap. 9.

Matthæus primum Monachus, postea Episcopus Albanensis, vir magnæ sanctitatis, cum Prioris officio fungeretur, *delinquentes, Cluniacensi more, sanguinolentis verberibus castigabat.*

In Benedictina Constitutione (sic à Benedicto XII. nominatur, & exstat ad calcem Leonis Ostiensis ex edit. Parisiensi) hæc de Apostatis ad ordinem redeuntibus sanxit Pontifex. *Ad Ecclesias, vel monasteria, vel loca huiusmodi redeuntes, ad communionem aliorum monachorum, seu fratrum (donec satisfactionem huiusmodi fecerint) nullatenus admittantur; quæ subiicitur esse talis: Videlicet, quod à porta regulari, parlatorio, seu alio loco consueto, per claustrum cum magistro nouiciorum, vel alio ad hoc deputato ad capitulum veniat in staminea, vel nudus, secundum quarundam Ecclesiarum, monasteriorum, & locorum religiosorum morem, femoralia, & caligas sine pedalibus tantum habens, cucullam, seu scapulare, vel floccum in brachiis, ac ferulam in manibus suis ferens. Cum quibus ibi prius venia recepta, & sua recognita culpa, coram omnibus publicè verberetur.*

Ibidem. *Pœna quoque simili puniantur monachi in Prioratibus, seu administrationibus aliis exterioribus deputati, qui de illis redierint ad Ecclesias, vel monasteria, seu loca conuentualia prædicta, sine vocatione Antistitis, Abbatis, vel alterius Prælati, seu sine licentia eiusdem à Priore, vel Administratore alio loci: in quo (vt præfertur) fuerint deputati per patentes literas eisdem dandas, iustam causam licentiæ huiusmodi continentes.*

Cap. seq. *Limites à Priore, vel administratore præfixos ipsi monachi habeant: quos etiam caussa deductionis, seu recreationis, vel alias transgredi eis non liceat, sine Prioris, vel Admini-*

ministratoris licentia speciali: soli quoque nunquam incedant: sed semper cum alio monacho, vel alia honesta persona. In villa verò, in qua fuerint Prioratus, vel administrationes huiusmodi, comedere, seu bibere, vel domos ingredi non præsumant: nisi cum honestis personis, & hoc de sui Prioris, vel administratoris licentia speciali. Qui autem præmissa minimè obseruauerint, regulari subiaceant disciplinæ.

Isidorus in Regula Monachorum cap. 18. *In minore ætate constituti non sunt coërcēdi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis affligendi sunt plagis: vt quos ætatis infirmitas à culpa non reuocat, flagelli disciplina compescat.*

De Bernardo, *qui Sauinellus dicebatur, referebant,* inquit Petrus Abbas, *quòd licet aliquando in quibusdam leuiter se haberet, correptus tamen, vt regularis disciplinæ moris est, multaq; tam verborum, quàm verberum opprobria passus, patientissimè tolerabat, seq; mitem post flagella vultus & operis alacritate exhibebat.* Petr. lib. 1. Mirac. cap. 10.

De alio idem Auctor. *Multa propter excessus suos tam verborum, quàm verberum sponte vel inuitus probra ac iniurias tolerabat.* Lib. 2. cap. 24.

Chronicum Carthusianum Petri Dorlandi libro 2. cap. vlt. de familiaribus Hugonis Episcopi Gratianopolitani. *Etiam si quis eum vel modicè reprehendisset, vel aliquam molestiam in eius famulatu se pertulisse dixisset, protinus pugnis grauiter pectus verberans, se reum clamabat, virgarumq; disciplinam imponi sibi deuotissimè postulabat.*

Cantipratensis lib. 2. cap. 10. de fratribus Prædicatoribus & Minoribus. *Student cum Clericis: cum Canonicis horis canendis inuigilant: cum Monachis verò & aliis religiosis in conuētibus suis accusationes, vapulationes, ieiunium, & pro magna parte silentium, quotidianasq; ferè ac generales post Completorium tenentur sustinere disciplinas.*

Etiam Confessarij disciplinas iniungebant infligendas aliena manu. Huius moris memorabile exemplum prodidit Cæsarius. *Canonicus quidam in Steyuuelt ordinis Pramonstratensis, sicut mihi retulit Canonicus quidam Monasteriensis, valdè laudabilis vitæ fuit, quem quasi ad fugandum dæmonem de obsesso, prior ad ostium monasterij secum eduxit. Quo viso, mox diabolus per os hominis clamauit; Ego quadam de eo scio, propter quæ eum non timeo. Non tamen permissus est eadem publicare, eò quod minima essent, ne viro sancto verecundiam inferret. Ille verbum intelligens, remordente conscientia, intrauit, culpam confessus rediit, & si dæmon adhuc aliquid sciret, inquisiuit. Respondit dæmon: Adhuc aliqua culpæ vestigia apparent in te, eo quod non sit subsecutus stimulus, plagam virgarum intelligens. Iterum intrauit iuuenis, iniunctam accepit disciplinam, reuersusq́; si sciret aliquid interrogauit. Respondente diabolo, per iudicium meum, nil modò noui de te: satis ædificati sunt fratres.* APOLLONIVS. *Non modicum me turbat, quod inimicus in sancto viro post confessionem factam aliquod deprehendere potuit signum peccati.* CAESARIVS. *Deus permisit ad eius bonum. Quanto quis perfectior, tanto pro sua culpa delenda esse debet sollicitior. Disciplinam iniunctam, quam mox accipere potuit, maximè contra diabolum pugnaturus, differre non debuit.*

Cæs. lib. 3. cap. 5.

Scribit Syluester Gyraldus lib. 1. Itinerarij Cambrensis, Abbatem de Alba domo, *virum probum & religiosum,* quod de muliere quadam, quam aspexerat, cogitasset, culpam suam cum lacrymis fassum esse, *& à tribus sacerdotibus disciplinam suscepisse.*

Cæs. lib. 2. ca. 34. Exstat apud Cæsarium insignis pœnitẽtia cuiusdam vsurarij, qui postquam omnia supra sortem accepta, restituerat; *per plateas ciuitatis nudus in suis femoralibus incessit, seruo cum virga se impellente ac dicente: Ecce iste est ille, quem*

quem pro suis pecuniis principatus honorabat, qui filios nobilium obsides tenebat.

De Hugone Abbate Bonæuallis hæc Vincentius. *In Annunciatione beatæ Mariæ Virginis cum idem Abbas excitaret fratres in choro ad vigilias, vidit Diabolum in medio choro stantem, in forma horribili, ita, vt ipse Abbas præ timore caderet. Qui leuatus à fratribus, signauit se, & redit ad sedem suam. In crastino narrauit Abbas in Capitulo, quid vidisset, & dixit, aliquem de fratribus esse in criminali peccato, propter quem diabolus venerat. Quo audito, omnes timuerunt, sed, qui reus erat, celauit conscientiam suam. In altero crastino, iterum dixit Abbas, adhuc diabolum esse inter illos; & tunc fratres confessi sunt, & acceperunt singuli disciplinam precantes Dominum, vt Rei conscientiam reuelaret Abbati. Quod & factum est: Tunc Abbas Reum traxit in partem, & dixit ei peccatum suum. Quo audito, ille cecidit ad pedes eius, rogans veniam sibi dari, & pœnitentiam secundum voluntatem Abbatis sibi iniungi. Quo facto, diabolus vltra non comparuit.* *Vincent. lib. 29. cap. 34.*

De pœnitentia publica Petri Morani Manichæorum in vrbe Tolosana Coryphæi ita Rogerus in Annalibus Anglicanis Anno M. C. LXXVIII. ex Henrico Abbate Clareuallensi qui interfuit. *Indictum est populo, vt omnes pariter ad Ecclesiam S. Saturnini die altera conuenirent, audituri, & visuri solenniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille susciperet obseruandam. Omnes igitur, sequenti die, vt fuerant prænominati, conuenerunt, tanta vtique multitudo, tam frequens, vt vix remaneret secus ipsa altaris cornua locus vacuus, qui domino Legato Missæ solennia celebranti sine compreßione nimia præberetur. Et ecce coram illa multitudine multa nimis Petrus ille iam noster, per ipsas Ecclesiæ valuas nudus, & discalceatus adducitur, cadentibus hinc inde*

cum Episcopo Tolosano, & Abbate S. Saturnini, donec ad pedes Legati in ipsis altaris gradibus poneretur. Et ibi in facie Ecclesiæ Ecclesiasticis reconciliatus est Sacramentis, abiurata omni hæresi, & hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem possessionibus eius publicatis vniuersaliter, & proscriptis, pœnitentia illi talis iniungitur: vt, infra quadraginta dies à patria sua exulaturus abscederet, in seruitio pauperum Hierosolymis triennio moraturus. Interim verò singulis diebus Dominicis Ecclesias Tolosanæ vrbis nudus, & discalceatus cum disciplinalibus virgis iussus est circuire, Ecclesiarum bona, quæ abstulerat, reddere, vsuras omnes, quas acceperat, restituere, damnā pauperum, quos afflixerat, resarcire, & castrum quoddam suum, quod hæreticorū conuenticulis profanarat, ab ipsis fundamentis euertere. Deus bone, quot ibi lacrymas lætitia sancta profudit? quas gratiarum actiones, & laudes, populus iubilans, & deuotus cœlestibus choris ingessit, cum de cauernis perfidiæ talpa talis educitur, & in Israëliticam ouem lupus rapacissimus reformatur.

Idem Rogerus de alio quodam Hæretico ciue Tolosano; *Prostratus veniam postulauit, & iniuncta sibi pœnitentia nudus ducitur, & flagellatur per plateas, & vicos ciuitatis.*

Forsan his, & similibus exemplis, præsertim eorum, qui non suopte nutu, sed alieno imperio ob malè commissa verberati sunt, opponent Prædicantes, pro sua in canonibus peritia, Canonem IX. Concilij Constantinopolitani in Templo sanctorum Apostolorum celebrati, quo prohibetur, ne quis sacerdos vllum verberet, siue sua siue aliena manu; non obtemperantibus pœna depositionis decernitur. Ratio additur: *quia oportet Dei Sacerdotem doctrinis & admonitionibus, nonnunquam autem & pœnis Canonicis eum, qui se immodestè & insolenter gerit,* insti-

instituere, sed non flagellis & verberibus in hominum corpora insultare. Qua ergo ratione constant ea exempla, quæ reos à sacerdotibus, & Monachos item à Monachis verberibus affectos narrant? Respondendum est, prohiberi hoc Canone illa verbera, quæ alicui per iram & animi impotentiam iniuriosè incutiuntur; non illa, quæ institutionis, correctionis & pœnitentiæ loco paternè & moderatè infliguntur. Docet hoc Balsamon in prædictum Canonem. *Quomodo*, inquit, *hac decernente Canone, liberalium studiorum magistri, Grammatici scilicet & eiusmodi alij, licet sint sacris initiati, sine præiudicio suos discipulos verberant?* Respondet Balsamon: *Propter vindictam, & iram verberare, punitur, non autem ea, quæ doctrinæ, & eruditionis gratia, & verbis, & manu fit moderata magistrorum correctio. Propterea enim Canon quoq; dicit puniri, si sacerdotes in hominum corpora insultent, per hoc verbum,* insultare, *significans ratione carentem appetitionem eorum, qui cum ira percutiunt. Si enim prohiberetur magistrorum eiusmodi percussio, nec Ecclesiastici Clerici ferula castigarent,* κτ̀ προτροπὴν πρωτεκδικικὴν, *primi defensoris suasu, eos, qui peccant, liberos, & seruos, ad primum defensorem accedentes. Sed hoc tamen fit ab eis absq; vllo præiudicio. Quamobrem, si quis sacerdos, primi defensoris ferula aliquem percusserit cum ira, & furore, vt etiam aliquando contigit in Patriarcha domini Lucæ pontificatu, non effugiet supplicium: & rursus, si cum ira discipulum Præceptor percusserit, vsus baculo, quo posset cædes fieri, id non feret impunè.* Ex quibus verbis apparet, etiam Græcis morem hunc delinquentes verberibus castigandi vsitatum fuisse; quandoquidem νάρθηκι τοῦ πρωτεκδίκου, (Interpres vertit, *ferula primi defensoris*, aptius forsan seruato Græco vocabulo verteretur; *virga Protecdici*) nocentes plectebantur.

Non

Zonar. in explicat. Can. Concil.

Non aliter supradictum Canonem explicat Zonaras. τὸ δὲ μαστίζειν καὶ πληγὰς ἐπιτιθέναι τοῖς τῶν ἀνθρώπων σώμασι, καὶ τοῦτον αὐτοῖς ἐπιπηδᾷν τὸν τρόπον, πλέως ἀπαγορεύει· διὰ τοῦ ἐπιπηδᾷν, τὴν μανικὴν αὐτῶν καὶ ὀργίλον φορὰν ἠνίξατό τε, καὶ ὑπέφηνε. *Flagellare & plagas hominibus imponere &, iisq; hoc modo insultare, penitus interdixit; per* insultandi *verbum furiosum ipsorum & ira plenum impetum innuens ac designans*. Certè Græcos inter ἐπιτίμια seu mulctas Ecclesiasticas habuisse etiam *verberationem* manifestè antea nos docuit Balsamo, per νάρθηκα seu virgam τοῦ πρωτεκδίκου.

Apud Latinos, præsertim Monasticæ vitæ Professores, verberationi per disciplinas, siue aliena, siue propria manu peractæ, plerumque adiungitur Psalmus *Miserere*; quia est Psalmus *Pœnitentiæ* dicatus; quid autem aliud disciplina, quàm pœnitentia? Hinc exstitit vulgare illud, cuius Caluinus meminit in Refutatione Antonij Cathalani. *Quid tam lepido Sycophantæ facias, nisi ad Capitulum mittatur, vbi secundum Monachorum Prouerbium, pœnas det vsq; ad vitulos*; quibus, & quidem quotidie aliquoties repetitis, dignissimus erat ipse Caluinus.

Scio Prædicantibus, nec capitulares Monachorum, nec pœnitentiales disciplinas extra Monasticum cœtum arrisuras: forsan magis ad imitationem incitabuntur disciplinis, quibus Iudæi se mutuò mactant; teste Antonio Margarita in libro de Iudæorum legibus, ceremoniis, orationibus, occultis & publicis consuetudinibus, &c. Excuso Francoforti M. D. LXI. qui agens de festo, quod Iudæi celebrant 10. Septembris, vocantque den langen Tag / *longum diem*, ita scribit: **Darnach wann sie sich alle gebadet / (Nemblich am Abendt deß langen Tags) gedauchet / vnnd gessen haben / stehen sie auff / vnd**

vnd gehen in die Kirchen / vnd betten vnder andern vilen / vñ langen gebetten / ein sehr lange offne Beicht / darnach gehen jhr je zwen vnd zwen in die Kirchen / an ein besondern Ort / da bucket sich der ein nider auff das Knie / vnnd Angesicht / vnnd schlägt das Heß vbern Kopff / doch daß man jhm kein blosse Haut sehe / so stehet der ander vber jhn / vnd schlägt jhn mit einem Riemen / neun vnd dreissig Streich. Dieweil er er jhn also schlägt / Bettet der da geschlagen wirdt / die offne Beicht / vnd schlägt sich selbs auch ans Hertz. Wann solches geschehen ist / stehet er auff / so leget sich denn der ander an sein statt / vnnd läst sich auch also schlagen / doch beissen die Füchs einander nit hart. Solche grosse Buß geschicht darumb / das sie gantz rein / vnnd ohn Sünde / an disem langem Tag vor Gott erfunden werden. Daß sie aber einander nur neun vnnd dreissig Schleg geben / ist im Deut. 25. gegründet.

Vt aliâs in Vapulante & Virgidemia Prædicantibus exotica disciplinarum exempla proposui; ita & hoc omissum non oportuit; quia vt in aliis multis Iudæos potius, quàm Christianos sequi volunt; ita forsitan gratius illis erit in corporis diuerberatione Apellas & Verpos duces habere, quàm Christianos. Ita nimirum fient veri *Fillones*, hoc est, flagriones à veteri verbo Germanico Fillen, quod Otfrido, Notckero, & aliis est *cædere, flagellare, fustigare* &c. Kero Monachus S. Galli in Glossario. *Verbera*, Fillo. *Verberum*, Filloom, fillonokertu.

Addamus supradictis exempla eorum, qui diuinitus flagris affecti fuere, siue in somno, siue in vigilia. Primum sit ex Chronico Carthusiano. lib. 5. cap. 37. *Sa-*

cerdos quidam, cum eam mentem concepisset, vt Ordinem Carthusiensem ingrederetur; & ob secularia negotia, quæ illi imminebant, sua vota tardaret, dicens cum Persio poëta, cras hoc fiet: Sed, terminus te religiosus excipiet; & Monachus procul dubio morieris: idem, fiet cras; id est, hanc fatuam procrastinationem Dominus volens illi ostendere, quàm indignè ferret, tali illum statuit terrore concutere: quo Esa.28.19. *vexatio illi immissa, tribueret intellectum. Quadam nocte: cum in lecto dormiens pausaret, territus est per acerba somnia, & per visiones horrore commotus. Vidit enim se dæmonum manibus longius auferri; & in profundissimum puteum aquis sulphureis scatentem, collo tenus immergi: ita, vt pœne præfocatus, animam videretur exsuere. Dehinc extractum ex vasta voragine: terribilibus illum verberibus quatere cœperunt, & magnis agitare turbinibus. Clamabat autem ille, & Domini misericordiam crebris vocibus flagitabat. Tandem sibi redditus, inuenit se anhelum, gemebundum, & anxium. Et admirans, an hæc ipsa veraciter esset perpessus, cœpit se vndique palpare, & ad lucem conspicere. Inuenit itaque se diuersis in partibus corporis liuidum, lacerum, tumefactum. Nam vestigia verberum, quæ remanserant, indicabant plagam, qua percussus erat. Cumq; nec sic castigatus posset eatenus emolliri, vt vota compleret; amabat enim tenacius hoc seculum; apposuit Dominus rursus nouis eum castigare flagellis, vt mentem adamantinam crebra concussione perfringeret. Rursus igitur datus est in manus impij; & sub tortorum potestate redditus; & tantis, tamq; immanibus est verberibus agitatus, vt tandem duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Talibus ergò cladibus fatigatus, animum promissis apponens; propositum implere maturauit, timens, ne iterum aut plagis durioribus traderetur; aut certè grauioribus periculis periturus perpetuò seruaretur.*

Memo-

Memorabile etiam illud est, quod memoriæ prodidit D. Augustinus agens contra eos, qui alios ad iurandum temerè inducunt. *Aliquid dicam, quod nunquam dixi charitati vestræ in hoc populo, quod contigit in hac Ecclesia. Fuit hic homo quidam simplex, innocens, benè fidelis, à multis vestris, id est, Hipponensibus, imò ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutulymeni quis vestrum non nouit, qui estis ciues? Ab illo audiui, quod dico. Nescio quis negauit ei, vel quod ei debebatur, & hominis fidei commisit. Commotus, prouocauit eum ad iusiurandum. Iurauit ille: iste perdidit; sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergò iste Tutuslymeni homo grauis, & fidelis, ipsa nocte se exhibitum fuisse ad iudicem, & cum magno impetu, atque terrore se peruenisse ad præsidentem excelsum quendam, & admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, iussum fuisse perturbatum retro reuocari, & interrogatum fuisse his verbis: quare prouocasti hominem ad iurationem, quem sciebas falsum esse iuraturum? Respondit ille: Negauit mihi rem meam. Responsum est illi. Et nonne melius erat, vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm animam hominis istius falsa iuratione perimeres? Prostratus est, iussus est cædi. Cæsus est tam grauiter, vt in dorso euigilantis, vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, posteaquam emendatus est; parcitur innocentiæ tuæ, de cætero, caue ne facias.* S. Augustin. Tom.10. serm. de decollat. S. Ioan. Baptistæ.

Duo alia huc spectantia inuenies apud Vincentium; quorum prius ita habet. *Eo tempore in cœnobio Fuldensi exitialis lues grassata prius Abbatē corripuit, mox multos monachorum exstinxit: superstites primò sibi quisq; timere, orationes, & eleemosynas largiores facere; sed, processu temporis, vt est natura omnium pedetentim, metu* Vincent. lib.25. spec. Hist. cap. 107. & lib.26. cap.6.

dempto, omittere cœperunt: præsertim Cellerarius, qui palam clamitabat; non posse penum tot expensis sufficere: sperasse semper, se aliquod alleuiamentum pro tot elationibus funerum: nihil vltra spei esse; si, quod viui nequissent, mortui consumerent. Itaque, cum quadam nocte, propter necessaria, diu soporem distulisset. Tandem claqueatis morarum nexibus, in dormitorium pergebat; & ecce, videt in Capitulo Abbatem, & omnes, qui obierant illo anno, eo, quo decesserant, ordine sedere. Tremens, & effugere gestiens, retractus est increpitus, & more monastico flagellatus, audiuit verba Abbatis in hanc sententiam: Stultum est de morte alterius emolumento inhiare, cum sors cuiusque sub eodem pendeat fato; impium esse, cum Monachus omnem vitam suam in Ecclesiæ consumpsit obsequio, vt careat saltem vnius anni post mortem stipendio. Scito, non te citissimè obiturum, sed quidquid pro te fiet, ad aliorum, quibus abstulisti, referetur commodum: modò & alios corrige exemplo, quos corripuisti verbo. Abiit ille, & nihil se vanum vidisse, recentibus plagis, quàm morte proxima demonstrauit.

Refert eandem Historiam Wilhelmus Malmesburiensis lib. 3. de rebus gestis Regum Angliæ.

CAPVT

CAPVT XV.

Exempla eorum, qui ciliciorum asperitate carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt.

PERGAMVS nunc Prædicantibus recensere exempla eorum, qui ciliciis peccata vel expiare, vel declinare, Deumque sibi propitiare tentarunt; non enim infrugifera erit hæc enumeratio; præcipuè apud Prædicantes, qui comparati sunt, quemadmodum Macarius Alexandrinus, de quo Menæum Græcorum 19. Ianuarij. οὗτος ὁ Μακάριος εἴ ποτε ἤκουσέ τινα πεποιηκότα ἔργον ἀσκήσεως, αὐτὸν παραζηλώσας ἐν τῷ ἔργῳ ἐπλήρου. *Iste Macarius, si quando audisset insigne quodpiam ascetica vitæ facinus ab aliquo patratum esse, ad æmulationem prouocabatur, illudque reipsa ibidem complebat*: Similis planè mens est Prædicantibus, quippe quibus ignotum non sit; *quòd*, vt ait Isidorus, *propterea virtutes Sanctorum ad exemplum nostrum proposuit Deus, vt quantum de imitatione eorum conferri possunt nobis iustitiæ præmia, tantò de perseuerantia mali, sint grauiora tormenta.* *Isid. lib. 2. sent. cap. 11.*

Auspicemur à notatione nominis, tametsi alibi allata; quanquam non ex Suida, si non fallit memoria. Suidas, κιλίκια τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα ὑφάσματα. *Texta ex pilis*, κιλίκιος τράγος, ὁ δασὺς, *Hircus Cilicius, villosus*. τοιοῦτοι γὰρ ἐν κιλικίᾳ γίνονται τράγοι. *Tales enim hircos profert Cilicia.* ὅθεν καὶ τὰ ἐκ τῶν τριχῶν συντιθέμενα κιλίκια καλοῦνται. *Vnde cilicia vocantur, quæ ex his pilis texuntur.* Hæc Suidas de etymo cilicij.

Saccus, cilicium, & cinis argumenta sunt pœnitentium siue priuatim siue publicè, cur autem hoc habitu

& ritu pœnitentia peragatur pulchrè docet B. Isidorus lib. 2. de offic. Eccles. cap. 16. *Quòd in cilicio prosternuntur pœnitentes, (per cilicium quippe recordatio est peccatorum) id fit propter hædos ad sinistram futuros. Inde ergo confitentes in cilicio prosternimur, tanquam dicentes: Et peccatum meum contra me est semper. Cinere autem asperguntur, vt sint memores; quia cinis, & puluis sunt: vel, quia puluis, id est, impÿ facti sunt. Vnde & illi praeuaricatores primi homines recedentes à Deo, malisque factis offendentes creatorem, in puluerem, vnde primum sumpti sunt, redierunt. Bene ergo in cilicio, & cinere pœnitens deplorat peccatum: quòd in cilicio asperitas, & compunctio peccatorum; in cinere puluis ostenditur mortuorum: & idcirco in vtroque pœnitentiam agimus, vt & compunctione cilicÿ agnoscamus vitia, quæ per culpam commisimus: & per fauillam cineris, perpēdamus mortis sententiam, ad quam peccando peruenimus.*

Idem Isidorus in lamento pœnitentiæ:

Arma sumens pœnitentiæ
Saccum & cilicium,
Pulso pietatis aures
Viscera clementiæ,
Verba fletus & doloris
Ingerens cum lacrymis.

S. Basilius in Psal. 29. *Saccus ad pœnitentiam facit, cum sit humilitatis signum. Olim namq; Patres in sacco & cinere sedentes, pœnitentiam egerunt.*

Anno M.LVI. celebratum est Concilium Compostellanum, in quo, præter cætera, statutum, *vt Clerici tempore ieiunÿ & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur.*

In Concilio IV. Toletano sub Honorio Pontifice cap. 11. decernitur in Quadragesima nō esse cantandum

Alle-

Alleluia. Ratio. *Tunc enim opus est fletibus ac ieiuniis insistere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus deiicere, &c.* Est ergo cilicium pœnitentiæ & expiationis argumentum.

S. Paulinus de S. Martino. S. Paul. lib. 2. de Vita S. Martini.

Quin & contexto setis coopertus amictu
Excesa assiduo compunxit acumine membra,
Vt tereret tenuem vestis nimis aspera pellem,
Et cutis extentis stimulis ad tacta paueret,
Saxea collidens mage duris ossibus arua,
Producens tardos sera in ieiunia soles,
Perfundens totum lacrymarum flumine vultum, &c.

In quæ carmina Franciscus Iuretus Paulini Scholiastes. *Vestem Martini contextam setis intelligit*; de qua etiam Fortunatus lib. 1. cap. 16. in narratione huius facti: *sed triduano contectus cinere, & setis ieiunia ducens Numinis auxilium ad templa imminuenda precatur.* Sic enim ibi legēdum est: vulgò malè; *sed biduano.* Confirmat Sulpitius Seuerus dicto capite: *Per triduum,* inquit, *cilicio tectus, & cinere, ieiunans semper, atque orans, &c.* Et mox Paulinus: *Trinas continuans orandi intentio luces.* De eâdem verò setosa Martini veste locus hic accipiendus est lib. 4. *Conferre coruscas Gemmarum radiis frontes, & tegmina setis Hispida.* Et lib. 5. *Rursum igitur setosi habitus, stimulisque reclinem Consueti penetrare cutem, connexa rebellis Vellere duritior rigidis in vulnera filis.* Fuit iste habitus monachis vsitatus tunc temporis; de quo Sulpitius Seuerus lib. de vita S. Martini ca. 7. in descriptione ordinis monastici à Martino instituti: *Plerique,* ait, *camelorum setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat.* Quem imitatus etiā Paulinus supra lib. 2. ait: *Multis vestis erat setis contexta cameli; Quæ lenibus stimulis vigiles cōtingeret artus, Excludens tenuem compuncta*

carne

carne soporem: Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus, Lasciua & tenui vestis fluitaret amictu. Qui descriptionem requiret ampliorem, videat epistolam eiusdem Paulini ad Seuerum; vbi mysticè interpretatur pallia ista camelorum pilis hirsuta. De his etiam accipio locum eiusdē auctoris epist. 7. ad Seuerum: *Nos adeant*, ait, *& reuisant conseruuli, & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles.* Tribuit horrorem cilicio, vt etiam Tertullianus lib. de Pudicitia.

Idem S. Paulinus libro 2. vitæ B. Martini loquens de Monachis duce B. Martino seruientibus Deo.

Multis vestis erat setis contexta cameli,
Quæ leuibus stimulis vigiles contingeret artus,
Excludens tenuem compuncta carne soporem,
Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus.

Lib. 24. cap. 93. Apud Vincentium inuenies quendam, ope S. Odonis Abbatis Cluniacensis à latrociniis, quibus assueuerat, conuersum, qui longo tempore lumbos suos asperrimo fune succinxit; qui cum sub finem vitæ à *visceribus eius solueretur, cutis, quæ ei adhæserat, vnà cum sanie secuta est.*

Cæsar. lib. 4. cap. 103. Memorabile est illud apud Cæsarium de quodam viro religioso, qui cum à virgine quadam eius amore ob speciem externam incensa ad flagitium incitaretur, *dignum est*, aiebat ille, *& vobis expedit, vt corpus meum quod tam ardenter concupiscitis, prius inspiciatis, &, si tunc placuerit, desiderio vestro per illud satisfaciatis. Hoc dicto, illa tacente, vestimenta sua exuit, cilicium asperrimum, quo indutus erat ad carnem deposuit, corpusq́; nudum vermibus corrosum, cilicio attritum, scabiosum, atq́; nigerrimum illi ostendens, ait: En, quod amas: exple nunc, si placet, voluptatem tuam. Videns hæc illa, expauit, & nunc in pallorē, nunc in ruborem versa, ad pedes eius ruens, veniam postulauit. Cui ille, reuertere secretè*

in monasterium tuum, & vide, ne me viuente prodas secretum meum. Ab illa hora, tentatio, quam visus incautus in virgine excitauerat, conquieuit.

Fulco sacerdos asperrimo semper indutus erat cilicio & lorica, inquit Iacobus de Vitriaco. Idem de Carthusianis. *Ciliciis diebus ac noctibus vestiuntur.* *Vitr. lib. hist. occident. cap. 8.* *Idem ibid. c. 18.*

S. Hildeuntus Episcopus Meldensis, *ex quo presbyter factus est semper cilicio ad carnem vsus est*, teste Vincentio, apud quem reperies etiam cilicium sancti * Walframi, & * Clodoaldi Presbyteri, & S.* Carilephi, cui *iugis consuetudo erat cinere & cilicio corpus obuoluere, & nuda humo corpus supersternere.* Item * S. Germani Episcopi: cuius & stratum nil erat nisi cilicium. De cilicio sancti Lupi vide eundem Auctorem. *Vinc. li. 23. c. 25.* ** Lib. 23. ca. 146.* ** Lib. 21. ca. 60.* ** Cap. 44.* ** Lib. 20. cap. 7.* *Lib. 20. cap. 16.*

Iucundum simul & imitatione cumprimis dignum est, quod de S. Dominico inter hæreticos Albigenses cum sociis versante Vincentius scriptum reliquit his verbis. *Sciens Dei famulus secularium corda exemplis potius moueri, quàm verbis, ideo quamplurimos mouere, subdola hæreticorum superstitione illectos pertrahi ad errorem, excogitauit exemplis exempla retũdere, & veris virtutibus expugnare. Quasdã enim nobiles Dominas, incredulorũ familiares, adiit, & apud eas hospitio receptus est, & per totam Quadragesimam ibi mansit. Igitur, vt & ipse eas ostensione sanctitatis alliceret, tanta seipsum cum societate sua cœpit austeritate afficere, quãtam sine auxilio diuinæ gratiæ sustinere nequaquam infirmitas humana potuisset. Etenim cum sibi cibi more solito præparati ab ipsis hospitibus præferrẽtur. Nos*, inquit, *huiuscemodi nunc alimentis non vtimur. Panẽ nobis tantum, & aquam frigidam exhibete. Ieiunauit ergo vir sanctus, cum socio in pane, & aqua quotidie per totã Quadragesimam vsq; ad Pascha, ita vt mirarentur familiares hæreticorum, & dicerent; verè isti boni homines sunt. Stratus quoq; cum sibi pararetur ad quiescendum* *Vincentius lib. 29. cap. 105.*

idoneus; Non, inquit, *in hac mollitie, sed super tabulas quiescemus. Stratis itaq; sibi nudis tabulis, accubuerunt quotidie nudo dormientes in ligno, exemplo eius, qui somnum mortis suscepit in crucis patibulo. Somnus autem eorum breuis erat. Surgebãt enim quam citius, & anticipabant vigilias, orationibus insistentes. Allocutus est B. Dominicus aliquas ex Dominabus illis, & rogauit, vt sibi, & socio cilicia quærerent; addiditq́; nemo sciat, seruetur secretum. Hæc autem faciebat vir spiritu Dei plenus, non, vt sibi fauorem laudis humanæ acquireret, sed, vt mentes infidelium ad amorem Catholicæ religionis alliceret. Hinc, nonnunquam Pater ille sanctus, admonebat fratres suos, vt, cùm apud seculares essent, ad proximorum ædificationem aliquam ostenderent in se ipsis virtutis apparentiam in abstinentiis, & vigiliis, verborum quoq; ac gestuum disciplina: vt sic eos quadam sancta hypocrisi ad fidei reuerentiam & virtutis amorem propensius inuitaret.*

Vide Vapul. lib. 1. cap. 15. & Virgidemiam p. 3 cap. 8.

Hic intermittere non possum, quin confirmem acutissimam coniecturam Critici Burdonis Neoburgensis, quãdo in vita Annonis Archiepiscopi Coloniensis tam ingeniosè *verbera* mutauit in verba; & satisfactionem *verberum* in satisfactionem verborum. En Vincentius hoc loco apertè de *verborum & gestuum disciplina* loquitur, eamq́ue externis indiciis ac argumentis aliquando coram hominibus lucere cupit. Sed quid si ego vterer hic crisi longè æquiore & meliore, diceremq́; legẽdum; *verberum* nõ *verborum?* Certè S. Dominicus hoc voluisse videtur, vt sicut aliæ corporis castigationes interdum suscipiendæ sunt, vt innotescant iis, quos falsitas à vera fide auertit; ita etiam corporis verberationes palam aliquando ostendendas esse; vt alieni à vera religione videant opera nostra bona & glorificent patrem qui in cœlis est; suamq́ dissolutionem & laxitatem cum tali asperitate comparantes de reditu ad orthodoxã religionem cogitare

gitate incipiant. Deinde licet lectio illa *verborum*, vera ac germana esset; an ideo sequeretur, in vita S. Annonis *verba* verberibus substitui debere omnibus circumstãtiis sonora & elata voce reclamantibus?

Refert Rogerus in Annalibus Anglicanis corpus Roberti de Capella, Canonici Lincolniensis, postquam obierat, *inuentum esse in cilicio consutum, à collo vsq; ad poplites, quo ipse vsus fuerit à multo tempore sub veste candida.* Vt Prædicantibus ferre cilicium vtcunq; tolerabile videatur, attamen corpus cilicio insui, ita vt deponi nequeat, nisi omnes suturæ dissuantur, id illi nõ magis ferendum censebunt, quàm vt quis tribus, quaternis aut pluribus clauis sese cruci suffigat, aut cruci suffigẽdum procuret. *Fol. 813. edit. Francofurd.*

De Vlfrico Anachoreta Matthæus Paris in sua historia. *Tanto ieiunio & abstinentia, tantaq; vigiliarum instantia membra sua mortificabat super terrã, vt pellis in breui ossibus adhærens, nõ iam carnalem virum, sed spiritualem in humano corpore intuẽtibus exhiberet.* Vestitu simplici cilicio intus inhærente contentus erat; *quod cum ex consuetudine infra dies paucos indurauerat, vsum lorica incœpit affectare. Quod Dominus eius miles* (nobilis in cuius villa degebat) *cum cognouisset, loricam vnam contulit viro Dei, & vas bellicum cœlesti militia consecrauit. Noctibus in vas quoddam cum frigore nudus aqua plenum frigida descendere solebat, in quo Psalmos Dauidicos Domino offerebat, & sic aliquandiu perseuerans carnis incentiua mortificabat in aquis.* Quid, quod nec principibus nec regibus ciliciorum vsus inusitatus fuit, vel ipsis Centuriatoribus testibus qui Cent. 13. cap. 6. col. 674. ista ex Cromero li. 9. *Pramislaus Dux Maioris Poloniæ, vsq; adeo addictus fuit religioni & cultui diuino, vt per tempus quadragenarij ieiunij cilicina veste super nudum corpus & vino diluto admodum, aut insipidiore cereuisia vteretur. Nocturnis temporibus cum dormire putabatur, prolixa precatio-*

ni vacabat, porrò qua die cœnam vltimam vniuersario ritu recolimus & repræsentamus, duodecim pauperum pedes reuerenter abluere, extersosq́ deosculari, & pauperes ipsos vestire quotannis solitus est. Referunt Cēturiatores hoc ad exempla vitiorum *contra primam tabulam*, nempe ad idololatriam & superstitionem. Idololatram igitur & superstitiosum multò magis fuisse oportet Isaiam Prophetam, de quo hæc Isidorus lib. de vita, & morte Sanctorum c. 37. *In quo tanta fuit sanctitas, & vitæ excellentia, vt vnam tantum dicatur habuisse tunicam cilicinam: quaq́ etiam postmodum pro delicto populi abiecta, sacco membra cooperuit. Sed & hoc ad extremum deposito, iuxta Domini imperium, nudo corpore, nudóque vestigio in conuentu populorum conuersatus est. Sicq́ feruorem æstiuum, hyemisq́ pruinas atque imbrium potestates sustinuit: vt Dei præceptis obediret, & populi deploraret delicta.* At Centuriatores dicent: *hæc olim fuisse, nunc, exorto Lutheri Euangelio, tempus esse carnem amandi & fouēdi, non ciliciis atterēdi.* Vt hoc credam⁹, oportet, vt isti ex Bibliis eradant cum illud. *Castigo corpus meum*; tum omnia illa loca, quæ ad carnis mortificationem nos cohortantur. Nisi hoc fecerint, firmiter nobis persuadebimus, rectè eos facere, qui Luthero & Lutheranis tam dulciloquis concionatoribus ambas aures, mentemque totam occludunt.

Quid, quod & Imperatores cilicio se induerunt, accepto cælitus præclaro quopiā beneficio. *Imperator Henricus victoria Vngarica potitus, & fusis hostib⁹ in castra rediit: ac vt meritas Deo gratias ageret, deposito paludamento, sumptoq́ cilicio, itē nudis pedibus, porrectoq́ humi pectore, ac profusis coram legionibus lacrymis, ante sacrosanctum & salutare Crucis signum procidit, immortalem diuinæ benignitati gloriam retulit.* Ita Centuriatores Cent. 11. cap. 6. col. 280. ex Bonfinij lib. 2. Decad. 2. Mirum verò hoc Imperatoris

factum

factum absque critica Centuriatorum censura & virgula dimissum esse.

Stephanus Hungarorum Rex sæpe in cinere & cilicio humi prostratus preces fudit. Cent. loc. cit. ex Bonfin. lib. 1. Decad. 2.

Cuno Dux & miles in Othonis exercitu, cilicio corpus domans, gemitibus Deum exorabat. Centuriatores Cent. 10. cap. 6. col. 311.

Solenne fuit, sub extremam vitæ horam in cilicio & cinere pœnitentiam agere, atque adeo, in eo animam exhalare. Luculentum huius rei exemplum præbet nobis Henricus Iunior Rex Angliæ; *nam conuocatis coram se Episcopis & viris religiosis, qui aderant*, inquit Rogerus in Annalibus Anglicanis, *primum secretò, deinde coram omnibus sua confessus peccata, pœnitentiam, & suorum recepit absolutionem peccatorum, & tradidit VVillelmo Marescallo familiari suo crucem suam Hierosolymam deferendam. Deinde, depositis mollioribus indumentis, cilicium induit; & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, & ceteris viris religiosis circumstantibus: trado me peccatorem indignum, culpabilem, & obnoxium per funem istum vobis ministris Dei, postulans, vt Dominus noster IESVS Christus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimisit; per preces vestras, & per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ. Et responderunt omnes; Amen. Et ipse ait illis: Trahite me à lecto isto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo, quem sibi præparauerat. Et fecerunt, sicut ipse præcepit illis; & apposuerunt capiti, & pedibus suis duos lapides magnos quadratos: & omnibus ritè peractis, ipse præcepit corpus suum deferri in Northmanniam vsq; Rothomagum, & ibidem sepeliri. Et his dictis; ipse sacrosancti corporis, & sanguinis Domini viatico munitus, in timore Domini emisit spiritum.*

De venerabili Beda Wilhelmus Malsmesburiensis lib. 1. de gestis Regum Anglorum. *Die Ascensionis, contra Oratorium, in quo consueverat orare, cilicio subiecto decumbens, illibato sensu, & hilari vultu, Spiritus sancti gratiam inuitabat dicens: O Rex gloriæ, &c. hac oratione finita, spiritum efflauit, subsequente, & omnium naribus oppletis odore, qualem nec cinnama, nec balsama spirant, sed paradisiaco, &c.*

Exst. Tom. 3. Operum Thom. de Kemp. Thomas Kempensis de Gerardo Magno in vita eius cap. 7. *Tenero corpusculo crebra ieiunia indixit: ab esu carnium, (sicut mos Ordinis est) & à multis licitis abstinuit, vigilias noctis prolongauit, somni torporem stando, orando, genu flectendo, ab oculis excussit, atq; in spiritu ferroris, corpus spiritui seruire coëgit. Lumbos quoq; suos cilicio asperrimo, & nodoso præcinxit, ne caro lasciuiens titillaret, fortiq; pudicitiæ vigore renes constringens, pellem, & carnem pro anima fideliter exposuit. Vnde, ad literam veraciter Prophetæ verbum in Psalmo impleuit; vt meritò dicere posset; Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Psal. 43.

Pet. lib. 1. Mirac. cap. 20. De Benedicto, miræ sanctitatis Monacho Petrus Cluniacensis, *Innumeris cōfectum suppliciis corpus, toto pœnè vitæ suæ tempore ciliciis asperrimis exasperare consueuerat.* Loc. cit. Idem de eodem: *Hæc* (domus orationis in turri quadam præalta, ab isto Benedicto frequentari solita) *indeficientium orationum, hæc assiduè inundantium lacrymarum, hæc durissimorum flagellorum, hæc quotidianorum sacrificiorum, sola quidem testis tunc adfuit, sed ea tamen nobis prorsus celare non potuit.* Ex quibus apparet, hunc Dei seruū etiam corpus per disciplinæ flagellationem castigasse.

Lib. 1. cap. 21. Refert idem Auctor Turquillum Priorem Marciniacensem in cinere & cilicio positum animā Deo reddidisse. Lib. 1. cap. 4. Imò indicat hic Auctor, morem Christianorū, & maximè Monachorum esse, vt in cilicio & cinere spiritum

ritum exhalent. Proprius erat huic rei destinatus locus. *Habetur in domo media locus*, inquit Petrus, *vnius corporis capax, ad hoc aptatus, vt fratres ibidem in cinere & cilicio compositi, extremum Deo inde spiritum reddant*. Et Matthęus primùm Monachus, postea Episcopus Albanensis *ad cilicium cinere conspersum translatus est* sub extremam vitæ horam: *Sæpe autem rogauerat, ne se casu aliquo, nisi in cinere & cilicio, Christiano more, mori permitterent: timebat enim, ne qualibet infirmitatis eius compaßione ducti hoc prætermitterent, vel negligerent; in quo, sicut & in aliis Martini sui exempla & verba sequi nitebatur, qui, sicut omnibus notum est, discipulis moriens prædicabat, non debere Christianum, nisi in cinere mori.* Idem Matthæus *ieiuniis, vigiliis, ciliciisq; asperis corpus edomabat.* Carolus à Basilica in Epistola de morte Cardinalis Borromæi ad Ludouicum Granatensem. *Imposuimus demum illi cilicium cinere benedicto aspersum, quod ille non solum in ritu, sed etiam in ipsa carnis afflictione vehementer probauerat, & vsus fuerat, & cum tertia ferè noctis hora venisset, animam Deo reddidit.*

Lib.1. Mirac. cap. 19.

Lib.2. Mirac. cap. 22.

Lib.2. cap. 8.

Nec ad Deum solummodo placandum, sed & ad hominum iram mitigandam & amoliendam cilicia, & id genus alia pœnitentiæ argumenta adhibita fuere. Lambertus Schaffnab. de Episcopis excommunicatis, qui Henrico IV. adhæserant. *Reperto Papa* (Gregorio VII.) *in Canusio, veniam præsumptæ rebellionis*, atque vt excommunicatione *absoluerentur, nudis pedibus, & laneis ad carnem induti suppliciter postulabant.*

Idem de Henrico Rege. *Deposito cultu regio, nihil præferens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, ieiunus mane vsque ad vesperam perstabat; Romani Pontificis sententiã præstolando, hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectum eius admissus*, &c.

Lam-

Lambertus de Coloniensibus veniam seditionis à suo Episcopo postulantibus. *Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt.*

De Henrico Rege Gregorius VII. Epist. ad principes Germaniæ lib. 4. Epist. 12. *Deposito omni regali cultu, miserabiliter, vtpote discalceatus & laneis indutus persistens, Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem implorare non destitit.*

Domnizo in vita Mathildis de eodem Henrico.

Ante dies septem, quàm finem Ianus haberet;
Ante suam faciem concessit Papa venire
Regem cum plantis nudis à frigore captis,
In cruce se iactans Papa; sæpissime clamans,
Parce beate Pater, &c.

Quia osculatus est pedem Papæ, in cuius calceo crux erat.

Benno Pseudocardinalis. *Cum lacrymabili afflictione nudis pedibus, in laneis vestib. hyeme, præter solitum, aspera,* &c. *triduo pertulit.*

Wipo in vita Conradi Salici, vbi agit de seditione quadam aduersus Imperatoris exercitum à Rauennatibus excitata. *Mane facto, Rauennates, qui remanserant, in cilicio & nudis pedibus atque exertis gladiis, vt lex eorum præcipit victis ciuibus, ante Regem venientes, sicut ipse præcepit, omnibus modis satisfaciebant.*

Idem Wipo de Romanis post concitatam seditionem. *Postera die Romani, qui seditionem commouerant, ante Imperatorem venientes, nudatis pedibus, liberi cum nudis gladiis; serui cum torquibus vimineis circa collum, quasi ad suspensionem præparati, vt Imperator iussit, satisfaciebant.*

Hactenus de viris dictum esto; nunc adiungamus fœminas. Scribit S. Antoninus p. 3. Hist. Tit. 24. ca. 6. Cla-

ram

tam virginē vsam aliquando *veste de corio porci confecta, quam versâ ad carnem hispidâ tonsurâ pilorum secreto sub tunica detulerit.* Forsan non abhorrebunt Prædicantes à tali cilicio propter sympathiam cum illo animali, cui est sal pro anima.

Wilhelmus Malmesburiensis lib. de gestis Regum Anglorum. *Elfrida* (seu Elfreda nouerca sancti Regis, & martyris) *de illo regali supercilio inclinata dirè pœnituit, adeò, vt multis annis apud Vuereuuellam carnem in deliciis nutritam, cilicio inuolueret, noctibus sôlo strata sine ceruicali, somnum hauriret, cruces præterea quascunq; posset, corpori comminiscens.*

Idem Auctor de Mathilde filia Regis Scotorum, coniuge Henrici primi Regis Anglorum: *Cilicio sub regio cultu conuoluta, nudipes diebus Quadragesimæ terebat Ecclesiarum limina.*

In confinio Franciæ & Normanniæ vidimus puellulam in cellula quadā reclusam, quę de pellibus asperrimis herinaceorum sibi fecerat cilicium. Iacobus de Vitriaco cap. 5. Hist. occid.

Ioannes Nider in suo Formicario lib. 1. cap. 9. *Sileo de fœmina reclusa, quæ prope Maguntiam vsa est lorica ferrea; erro, si non fuit Chalybea.*

Verum hæc & alia huius generis exempla parum mouent Prædicantes, tum quia carni & sanguini sunt immersi; tum quia suis in libris clāmitant; Etiam Ethnicos olim, & hodie Turcas nonnullos rigidissimam vitam viuere; neque tamen ob id vno pilo sanctiores reddi. Etiam atque etiam inculcatur hoc argumentum à Luthero, in Præfatione, quam præfixit libro Anonymo de vita & moribus Turcarum; vbi pro singulari sua in Turcas beneuolentia eorum acta & instituta mirificè

extollit; Christianorum autem mores ac ritus deprimit. Videtur in Lutherum immigrasse genius seu Alastor Iuliani Apostatę, qui Ethnicorum (vt nunc Lutherus, Turcarum) fortia facta miris laudibus extollere; omnia verò Christianorum, quamuis præclarissima facinora, extenuare, deprimere & vilipendere consueuerat; in quem hæc verè ac eleganter D. Gregorius Nazianzenus quæ ego Luthero res Christi, & Christianorum Turcicis postponere auso, similiter dicta volo. *Homo stultissime, & impiissime, & in magnis rebus imperitissime, tune aduersus tantam sortem, ac per totum orbem fusam oblationem, quæ per sermonis vilitatem, prædicationisq́, vt ipsi fortasse dixeritis, stultitiam, omnes terræ fines complexa est, quæ sapientes vicit, & dæmones oppressit, & tempus superauit, eadem vetus simul, & noua (vt vos Deorum quendam portentosè confingitis) illa paucis, hæc promiscuæ multitudini: illa, adumbratione; hæc, perfectione mysterij ad sua tempora reseruati?* Túne, (quis autem, & quantus, *& vnde profectus?*) *aduersus magnam Christi hæreditatem; magnam, inquam, illam, nec, etiamsi quidam maiori, quàm tu, furore, atq; insania præcipites ferantur, finem habituram; verùm, longius progressuram, altiusq́ assurrecturam, (mihi enim & Prophetarum oracula, & ea, quæ cernimus, fidem faciunt,) quam, vt Deus, creauit, & vt homo, hæreditate consecutus est; quam lex adumbrauit, & gratia expleuit: quam Prophetæ coagmentarunt, & Apostoli quasi vinculis constrinxerunt, & Euangelistæ numeris omnibus absoluerunt? Túne aduersus Christi sacrificium cum tuis piaculis? Túne aduersus eum cruorem, quo mundus purgatus est, cum tuis cruoribus? Túne bellum, aduersus pacem? Túne manum aduersus eam, quæ & pro te, & propter te clauis transfixa est?* &c. Túne speciem austeræ & rigidæ vitæ apud Turcas, anteferre non erubescis austeri-

steritati externæ Christi, Sanctorum, & omnium verè Christianorum? *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? Nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam; eos, qui & post illos, & ante illos, pro veritate periculis se obiecerunt? qui cum igni, & ferro, & belluis, & tyrannis, & præsentibus malis, & denunciatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes dimicarunt; (cur? ne pietatem vel verbo tenus proderent:) quibus præclari honores, & festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones, & prædictiones; quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atq; exigua passionis signa idem possunt, quod corpora?* (Da mihi tu, Turcice Luthere, similem ex Turcarum grege.) *Hæc non colis, sed contemnis; qui Herculis rogum, ex calamitate, iniuriisq; mulieribus illatis excitatum, admiraris, & Pelopis laniationem,* &c. *Qui Spartanos adolescentes, virgis sese lacerantes, laudas, & aram cruore respersam, Deam castam, & virginem oblectantem; qui Socratis cicutam extollis, & Epicteti crus, & Anaxarchi vtrem, quorum patientia coacta potius, ac necessaria, quàm libera, & voluntaria erat; qui Cleombroti Ambraciotæ saltum, ad quem ex libelli de anima lectione impulsus est: qui Pythagoricam illam pro fabis contentionem, & Theanus, aut nescio cuius alius ex iis, qui Pythagoricis mysteriis initiati erant, eiusq; dogmata sequebantur, mortis contemptionem?* Qui Turcicos Popas suspicis, & suspiciendos aliis proponis, in quibus, vt ait ipsemet Auctor libri de Turcarum moribus, in quem, tu Luthere, præfaris, *tanta est potentia Diaboli, vt videantur potius Diaboli incarnati, quàm homines: secundum enim differentiam, quam habent in habitu exteriore, latet etiam ipsa Diabolica*

virtus in eis. Quod si tu, Luthere, *superiora illa non miraris, at certè præsentia mirare*, &c. *Videsne hos pauperes, & laris expertes,* (qui in Ecclesia Catholica Deo militant) *ac carne fermè, & sanguine destitutos, eoq; nomine ad Deum accedentes? hos inquã pedibus illotos, & humicubantes,* (quod ait tuus Homerus, *vt hoc figmento dæmonum quendam ornet) hos humiles, & supra infera, hos inter homines, & supra humana, hos vinculis adstrictos, & liberos; retentos, & retineri nescios. quorum nihil in mundo, & omnia, quæ supra mũdum sunt: quorum duplex vita est, altera contempta, altera studiosè culta, & expetita: hos, inquam, propter mortificationem immortales, propter dissolutionem Deo coniunctos; hos, inquam, ab amore alienos, & diuino, atq; omni vitiosa affectione vacuo amore flagrantes: quorum fons lucis, & quorum iam radij: quorum angelici Psalmorum cantus, & pernox statio; & mentis ante mortem in cœlum se rapientis, ad Deum excessio: quorum purgatio, & quorum purgari: quippe nullum ascensus, & deificationis modum agnoscentium: quorum rupes, & quorum cœli; quorum abiici, & consternari, & quorum throni: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumẽtum; quorum solitudo, & quorum seculi alterius celebritas: quorum compressæ, atq; constrictæ voluptates; & quorum perpetua, omnemq; sermonis facultatem excedens animorum oblectatio; quorum lacrymæ, peccati diluuium, & mundi piamentũ: quorum extentæ inter precandum manus flammas exstinguunt, feras consopiunt, gladiorũ aciem retundunt; instructas acies in fugam vertunt, tuamq; etiam impietatem, mihi crede, compressuræ sunt, etiamsi ad aliquod tempus extollaris, impietatisq; fabulam cum tuis dæmonibus ludas? Quonam modo ne hæc quidem pertimescis, homo audacissime, atq;, vt si quis alius, ad mortem præceps? quonam modo non venerari?*

CAPVT.

CAPVT XVI.

Notitia eorum, qui corpus castigarunt vepribus, niue, gelu, frigore, circulis, catenis ferreis, nudipedalibus, & id genus aliis viuendi asperitatibus.

QVI sanctum virum imitatur, inquit S. Isidorus, *quasi exemplar aliquod intuetur: seseq; in illo, quasi in speculo perspicit, vt adiiciat, quod deesse virtuti agnoscit. Minus enim seipsum homo ex semetipso considerat; sed dum alterum intendit, id quod minus est luminis adiicit.* Isid. lib. 2. sent. cap. 11.

Fecit hoc S. Audomarus Episcopus Taruauensis, *qui cum quadam nocte ex more Dominũ oraret,* inquit Vincentius, *Diabolus tantam incentiuam ei carnis tentationem immisit, quod ei nunquam similem se habuisse meminit. Reminiscensq; exemplum incendij B. Benedicti, in vrticarum, & veprium aculeos omni indumento exutus egressus foras illicò se proiecit, ibique diu volutatus, toto corpore vulneratus exiit; tuncq; bene pœnaliter ardente foris, quod intus illicitè ardebat, extinxit.* Vincent. lib. 23. cap. 108.

Cum S. VVandregisilus quadam nocte vltra solitum dormiuisset, verba Vincentij refero, *affuit hostis, & illudens ait: Vigilantior te extiti hac nocte. At ille: Non dubito, inquit, ad ruinam aliorum, & cumulum damnationis tuæ, peruigilem te vbiq; fore: sed; domabitur caro, quæ ad hanc me impulit torporis inertiam. Exurgens igitur à desidia somni, cùm esset hiemis asperitas, sub diuo, in medio niuium, & glacierum flens, & longa suspiria trahens, Domino deuotissimè psallebat, sed & ita ieiuniis incumbebat; vt in tota hebdomada, excepta prima, & quinta Sabbati escam minimè sumeret.* Vincent. lib. 23. cap. 130.

Damasc. lib. 6. epist. 22.

Ad Damianum Monachum suum ex sorore nepotem ita scribit Petrus Damianus, cuius recordatio admodum grata accidit Prædicantibus socero & genero. *Tibi quoq; non absimile quid cœpisse contingere, valde gauisus sum, dum nonnulla nouitij tui feruoris insignia, veracis admodum viri fratris Hubaldi relatione cognoui. Ait enim inter cetera: quia, dum tanta brumalis algoris inclementia tunc in illis alpibus inhorresceret, vt congesta niuium moles quarumlibet tegetum, vel domorũ culmina superaret; tu, proiectis vestibus, nudum te in illa niualium ruderum profunda latenter immergeres: ibiq; te quidam fratrum pœne seminecem reperisset. Cui, dum te seuerius, vt dignũ erat, argueret; diceris respõdisse: caro me conatur occidere, sed eam ego potius occidã: & postmodum non quidem sub diuo, sed sub quo nescio repertus es ædificio, in niue similiter prouolutus. In quo nimirum facto, licet regularis non sit dissimulanda correptio, malo tamen, vt modum discretionis in aliquo nimi⁹ feruor excedat, quàm degeneres animos desidis ignauiæ torpor astringat. Facilius est enim refluo vasi; quod superexuberat, demere: quàm, quod in eo vacat, implere. Laboriosius est, trunco ramos, qui nõ habentur, inserere; quàm arbori superfluos amputare. Equus etiam maioris est precij, qui præ cursus impatientia cohibentia lora requirit, quàm qui fodienda calcaribus latera per ignauiam ingentis torporis exponit. Ille, siquidem dum pernix, ac volax præpetis gressus volumina glomerat, reducto paululum chamo, facilè cohibetur; iste verberatur, & tunditur, nec tamen equina concitus agilitate, de properatur, sed, se per genuini torporis ignauiam velut asinum repræsentat. Licet itaque & hoc vitium sit, quod limitem discretionis excedis: melius est tamen te nimij feruoris argui, quàm fœdo desidiæ morbo notari. Non itaq; volo, vt hæc in te laudabilis zeli flamma deferueat; seruato tamen, vt indiscretionis excessum, vbi necesse est. Priorum tuorum grauitas, ac disci-*

disciplina compescat. Per hunc enim zelum, qui in te viuere dictus est, intellexi, quod spiritus ille, qui te, vt de domo cum Abrahami exires, admonuit, non recessit; sed dux itineris factus, te praecedere non cessauit. Hæc Damianus.

Vbi vides nouitium illũ in ſpiritali palæſtra Damianum paternè quidem ob exceſſum reprehendi ab auunculo; ſic tamen, vt ſolis luce clarius liqueat, neutrum ex his duobus Damianis fuiſſe Prædicantem: ſi Iunior fuiſſet Lutheranus, haud ad illud remedium exſtinguendæ libidinis confugiſſet; Nec ſenior aliam medicinam præſcripſiſſet, quàm hanc ex Prædicantium pharmacopoliis. *Non est bonum hominem esse solum. Faciat sibi adiutorium, quamuis sit Monachus, aut Monialis.*

S. Chryſoſtomus: *Audimus & hoc nostro seculo nonnullos ferro totum corpus obligantes, & sacco vestientes, & ad vertices montium currentes, & in continuis vigiliis, ac inedia summa viuentes & omnem disciplinæ seueritatem ostendentes, ab omnibus mulieribus segregatos, ascendere in domunculam, & tugurium, vt hac ratione seipsos castigantes concupiscentiæ furorem comprimerent.* *S. Chrys. serm. contra Concubinarios.*

Exemplum illuſtre eius, qui ob peccata corpus ferro coërcuerit, ſuppeditat nobis Cæſarius. *In Ecclesia S. Maximini in Colonia temporibus meis, quidam fuit inclusus cœnobij eiusdem initiator. Est enim illic congregatio sanctimonialium. Hic ante conuersionem concubinã habuerat: &, quia simul peccauerant, similem susceperunt pœnitentiam adeò duram vt vterque circulo ferreo ventrem suum ligaret. Ipse verò in prædicto loco se includens, Missas suas celebrando, Domino vacabat, cui illa foris in habitu religioso ministrabat necessaria. Adueniente tempore vocationis eius, Dominum Enfridum Decanum S. Andreæ vocauit, confessionem fecit, vitam reuelauit: cui ille in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, vt circulũ* *Cæs. lib. 11. c. 27.*

fineret

sineret deponi, quod & fecit; sicq; eo defuncto; mulier post paucos dies cœpit infirmari: & quia timuit quod sacerdoti acciderat, secretum suum prodere noluit, cuius virtutem Deus non sinebat occultam. In hora verò, qua exspirauit, vinculum eius dirupit; cumq; fines ligaturæ illius ferreæ, tunicam in qua moriebatur, ex vtroq; latere suspenderent, multæ matronæ fœminæ sanctæ exitum præstolantes, postquam rem cognouerunt, de tanto miraculo Deum glorificauerunt.

Hîc effusè ridebunt Prædicantes stultitiam istorum, imò & insaniam, (sic enim interpretabuntur) cũ Lutherus longè aliam rationem malè facta sua expiandi inierit: nam cum non fuisset Monachus, desiit esse Monachus: & cum fortassis à mulierum consuetudine vitam remotam prius duxisset (dico *fortassis*, quia nollem pro Lutheri ante Apostasiam puritate fidem meam obligare) posito monastico habitu, fœminam sibi copulauit; & vt satisfactio pro vitæ præteritæ flagitiis cumulatior esset, non qualemcunq; fœminam, sed monialem sibi iunxit: nec vel ille vel ista ferro lumbos circumcinxit; apage hoc tantum nefas: quomodo circulum ferreum tolerassent, qui ne monasticam quidem vestem ferre poterant. Si sacerdos, de quo Cæsarius, Lutherano spiritu caluisset, suam illam, more Lutherano, perenni nexu sibi despondisset; moresque non restrinxisset, sed quàm potuisset, latissimè laxasset; & cum Luthero, plano & expedito tramite, ad furuæ regna Proserpinæ descendisset.

Ferreo circulo cinctus fuit Michaël ex vrbe Pola oriundus, qui monasticam vitam amplexurus à Deo petiit, *vt ferreus, quo cinctus erat circulus, rumperetur, vbi ad locum suæ saluti congruum veniret: cuius voti etiam compos factus est: eo enim die, quo eremum petierat, inter preces lacrymasq;*

masq́; largas, statim circulus ferreus fractus est, vt narrat Petrus Damianus in vita Dominici Loricati. Ita Magdeburgenses Sectarij Cent.11.cap.10. fol.652.

Quàm austeram & asperam vitam duxerit S.Stephanus Gardimontensis docet his verbis Vincentius ex historia rerum ab illo gestarum. *Cibus eius panis & aqua, interdum farinula siligeneæ parua sorbitiuncula, quæ ceteris minus sapida, necessitati vtcunq; seruit, non voluptati. Incedebat quoque armatus lorica ferrea contra carnis insidias, & mentis lasciuiam, quousq; toto corpore exsiccato plenam de seipso obtinuit victoriam. Indumenta, quibus super loricam induebatur, nullo tempore mutabātur: sed hieme, & æstate ad repellendum frigus, & cauma, semper erant æqualia, & eadem. Stratus, in quo post nimiam carnis suæ fatigationem ad quiescendum se modicū conferebat: adeò durus erat, & quieti contrarius: quod in eo dormiens vexari poterat, non foueri. Erat enim ex tabulis ligneis instar sepulcri in terra consertis, omni stramento, omniq́; lectisternio carens, præter illā tunicam ferream, quam semper ad nudam carnem gestabat, vilissimum etiam habitum, quo desuper indutus erat.* *Vincent. lib.25. cap.47.*

Hæc Vincentius de Stephano, quem Centuriatores Cent.11. *stolidum & superstitiosum hominem* appellitant; Quid mirum, *si stultus in via ambulans, omnes sui similes arbitretur*, iuxta vetus Sapientis effatum? Sed Centuriatorum calumniis opponimus iudicium Lutheri de Stephano; nā in libello de variis Ordinibus his eum rhythmis præter morem suum, celebrat.

Stephanus gantz ein frommer Mann/
Vor Zeiten fieng den Orden an/
Von der Welt er sich gantz abzog/
Mit vil Volcks in ein Wüste floch/
Sein Leib er hart casteyen thet/
Mit wachen/betten/frůe vnd spet/

Pantzer vnd Mäntel sie tragen/
Damit sie jhre Sünde klagen.

In vitis Patrum, P. 2. refertur huiusmodi historia. *Referebat nobis Abbas Zenon: quia aliquādo dum proficisceretur ad Palæstinam, fatigatus de labore itineris, resedit sub arbore. Erat autem in proximo ager plenus cucumere: Cogitauit autē in corde suo vt surgeret, & tolleret sibi ad refectionē de ipsis cucumeribus. Nihil enim, inquit, grande est, quod habeo tollere. Respondensq́ ipse sibi in cogitationibus suis ait: quia fures, præcipientibus iudicibus, in tormenta mittuntur; oportet ergo me ipsum probare, si possum sustinere tormenta, quæ latrones patiuntur. Surgens autem eâdem hora stetit in æstu quinq; dies: frixitq́ corpus suum, & dixit cogitationibus suis: quia, non possum sustinere tormenta; ideo oportet me furtum non facere: sed magis exercere secundum consuetudinem opera manuum; & de laboribus meis reficere, &c.* Vtrum est tolerabilius. *Facere disciplinam*, etiam vsq; ad sanguinis effusionem; an in feruentissimo æstu integros quinque dies stare?

Cent. 13. cap. 10. col. 1150. De Ioanne Bono ita Centuriatores. *Cum aliquando virum se esse, stimulosq́ libidinis persentisceret, hoc vsus remedio est. Arundinem in minutissimas cōscidit partes, easq́ præacutas sub digitorum vnguibus ad summum vsq; infixit, vt ex nimio dolore corrueret, & sic tanquam mortuus toto penè triduo iaceret.* Quid ad hanc carnis edomandæ rationem Centuriatores? *Multò rectius sibi homo stolidus consuluisset, si Paulinum illud fuisset sectatus: Melius est nubere quàm vri:* Sectatus fuisset, si Lutherano igne sub pectore æstuasset. Sed quia sanctioribus flammis arsit; nō ad illam Lutheranam panaceam, sed ad Lutherano genio aduersam confugit.

Subdunt Centuriatores. *Verùm hoc sæculum tales prodigiosos sanctos producit.* (Tales nimirum, qualis Lutherus & eius interiores discipuli; qui nomen *Sancti* sibi impudentis-

dentiſſime arrogant, vt exemplis allatis oſtendi præfat. in Prædicantem Vapulantem; & cum aliquando Lutherus quaſdam mulieres interrogaſſet, num *Sancta* eſſent, ratus eas aliter non reſponſuras, quàm affirmatiuè; vel nullum, vel aliud quàm volebat reſpōſum tulit, pudore obſtante, ne *Sancti* nomen ſibi tribuerent. *Apparet poſt triduum ille, cui inſeruiebat* (innuunt impij, fuiſſe Diabolum) *& hiſce verbis ipſum affatur. Fili, quia viriliter feciſti, optimè vitam conſummabis, & deinceps non ſenties aliquid eiuſmodi: ſicq; vixit ad mortem vſque calebs, carnis pruritum ab eo tempore non ſentiens, ſi credere fas eſt:* nam talia hæretici non credunt, ex ſuo ingenio vel potius perpeti & indeſinenti incendio alios æſtimantes. *Vide colloq. Germ. tit. de Baptiſmo.*

In Germaniæ partibus, inquit Cantipratenſis li. 2. c. 51. *quidam nobilis Comes, ſed ferus pauperum ſpoliator, ex miſericordiſſima pietate diuina, graui infirmitate correptus eſt, & amariſſima pænitētia contritus, omnia ad reſtitutionem poſuit, quæ habebat, & irremediabilibus lacrymis quotidie lectum rigans, angelos, & ſanctos Dei ad impetrandā ſibi miſericordiam inuocabat. Decumbens verò corpori ſuo tantum ſupplicium ingerebat, vt talos pedum, & crura fricaret ad lignū, & cutem, & carnem, & neruos violenta aßiduitate diuelleret. Aquā frigidam in hieme, tanquā ad bibendum acceptam, clam pectori ſuperfundebat, & mēbris, vt ex hoc glaciali frigore torqueretur.*

Idem eôdem lib. & c. 13. de nobile milite, qui poſt malam vitam in eremo ſe durè afflixit, & tandem intrauit ordinem Prædicatorū. *Fuit & alius nobilis eiuſdem patriæ miles, ſed prædo peßimus; qui poſt annos plures ad pænitentiæ lamēta conuerſus, facta reſtitutione ad eremum tranſiit: & ibi multa inedia maceratus, ſeipſum vel per ſe, vel per ſocium, omni interdum veſpere cum flammea ardentis candelæ cera, inaudito paßionis genere cruciabat. Hic propter ſecuriorē vitæ modum, ad Prædicatorum Ordinem tranſiens, miris geſtis claruit, & exemplis.*

De Wilhelmo Aquitaniæ duce diximus in Virgidemia. Hic tantum dicam quid de illo sentiant Centuriatores. Cent. 12. c. 6. col. 943. *Eremum ex vana superstitione ingressus est: ac lorica ferrea super carne nuda indutus, crebris orationibus, vigiliis, ieiuniis, aliisq́; superstitionibus suum affligebat corpus.* En Centuriatores, preces, vigilias & ieiunia superstitionibus annumerant. *Tanti viri hypocrisi multi secularium & religiosorum fascinati, sua posthabita vocatione, ipsi se coniunxerunt.* Quàm dolendum, nullos tunc exstitisse Lutheranos, qui temere ad imitationem Wilhelmi ruentes cohiberent.

De eodem Wilhelmo iidem Centuriatores Cent. 12. c. 10. col. 1629. *Guilhelmus Aquitaniæ Dux, eremita stolidus, noui VVilhelmitarum ordinis pater exstitit, relictáque eremo, vrbes incoluit, & primũ monasteriũ sub mendicationis titulo Parisiis exstruxit. Nauclerus Gener. 41. Loricam ad nudã carnem gestauit, proprio corpori debitum honorem non habuit, ciborum necessario vsu abstinens. Triplici cinctus catena Hierosolymam, Romam & S. Iacobum petiit. Miracula etiam superstitiosus sanctulus edidisse dicitur. claruit anno M. C. LVII. Chron. Hirsaug.* Quid cum his incipias, qui non ratione, sed solo sensu viuunt, & quidquid sensui nõ adblãditur, toto pectore repudiant, perinde ac si in indolentia corporis vltimum finem constitutum haberent? Etiam nudis pedibus incedendo pœnas à corpore sumpsêre non pauci. Leo Ostiẽsis de Leone IX. Pont. Max. Omni tempore trib. per hebdomadã diebus à Lateranensi Ecclesia vsq; ad S. Petrũ priuato habitu nudisq́; pedibus, cũ duobus aut tribus clericis noctu psallẽdo & orãdo pergebat.

Leo lib. 2. Chronici Cassi. c. 88.

Pouelus li. 1. de Antichristo c. 24. § 38. *Nudipedales dicti sunt hæretici, quod nudis semper pedibus ambularent. Hos imitantur Franciscani & chordigeri, item alij cum Monachi, tum laici, qui religionis ergo, ad loca, vt illi existimant, sancta pere-*

peregrinationes suscipiunt. De his S. Aug. de hæres. c. 68. Dissimulat Pouelus, quid S. Augustinus in illis reprehendat, & qua de caussa inter hæreticos collocet. Adscribamus verba S. Augustini. *Est alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium, in eo, quod Dominus dixerit ad Moysen, vel ad Iosue; solue calceamentũ de pedibus tuis. Et, quod Propheta Isaias nudis pedibus iussus fuerit ambulare. Inde ergò hæresis est, quia, non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed, quia testimonia taliter intelligunt.*

Quantò rectius fecisset Pouelus, si *nudipedum* Hæreticorum asseclas & imitatores nominasset Wiclephi asseclas, Lollardos, de quibus Thomas Walsinghamus in Eduardo III. *Hi vocabãtur à vulgo Lollardi, incedentes nudis pedibus, vestiti pannis vilibus, scilicet de russeto, vt per vitam pœnalem facilius incautos traherent ad sectam suam.* Vt ergo isti deceptionis gratia, sic prisci illi *nudipedes* nudis pedibus incedebant, quia scripturas perperam intelligebant; & id necessariò, & ex diuino præcepto faciendum esse existimabant; ad quod omnes Christiani nulla penitus lege obstringuntur.

Danæus in Commentario ad cap. 68. libri de Hæresibus S. Augustini (nam hunc librum commentis suis defœdauit Danæus) multa mentitur, in quibus eminet illud, repetitum à Pouelo plasma. *Nudipedes istos esse Monachorum nudis pedibus incedentium parentes.* Num hoc verum sit, intelligere quiuis poterit ex Monacho *discalceato*, si ex illo sciscitetur, num ideo nudis pedibus incedat, quia Mosi dictum sit: *Solue calceamenta tua*, &c. & quia arbitretur, omnibus, *qui Christianorum nomine censeri velint, sic incedendum esse.* Nam nisi hoc sint animo, iure nullus potest Monachorum nudipedum ad nudipedales illos hæreticos originem referre.

Forsan Prædicantes non horrerent aut auersarentur

nudipedalia, si eis contingeret, quod B Francisco de Paula, de quo hæc Leo X. in Bulla Canonizationis: *Cum iuuenis adhuc esset, Calabriamq; incoleret, nunquam nisi nudis pedibus, etiam per glacies, niues, montes & acuta saxa, vepres, spinasq; incedebat, nullamq; ex eo, etiam grauissimo sæpè pondere pressus, læsionem in pedibus patiebatur; ipsum sæpius ignē nudis pedibus conculcasse, ac ignitos candentesq; lapides manibus portasse liquido constat.*

Supradicto virorum Catalogo, adiiciamus, nōnullas mulieres præclarè & ipsas in hac palęstra versatas: Prima sit S. Aurea Abbatissa, de qua hæc ex gestis eius Vincentius. *In quodam S. Quintini Oratorio se reclusit, & ab omni hominum aspectu septem annorū curriculis se remouit, ibidē acerrimam ducens pœnitentiam, assiduè sedebat in cathedra, quam sibi mirabilem parari fecerat, habentem scilicet centum quinquaginta clauos in dextra, & totidem in sinistra, totidem in dorsi regione. Sicq; Psalterium quotidie cantabat, scilicet centum quinquaginta Psalmos iuxta totidem clauos dextræ partis, aliosq; totidem in sorte læua cum clauis, tertios similiter in posteriori, nunquā carnes comedens, aut vinum, vel siceram bibens; sed pro vino potabat stillicidium cineribus expressum.*

Vincent. lib. 23. cap. 70.

Cæsarius: *In Brabantia apud Niuelliam monasterium S. Gertrudis Virginis, puella quadam nobilis extitit, Clementia nomine. Hæc, cum suadente diabolo lapsum carnis incurrisset, tunicam innocentiæ, quā polluerat, quotidianis lacrymis mundare satagebat: sic dedita erat operibus misericordiæ, vt omnes suos redditus pauperib. erogando, nihil penè sibi retineret. Cū autē moreretur, inuēti sunt circa corp' eius nouē circuli ferrei.*

Cæs. lib. 11. c. 28.

Idem Cæsarius: *Non est diu, quod Virgo quadā Leodiensis, Osilia nomine, ciui cuidam nupserat Metensi; quo mortuo, quia pulcra erat valdè, Canonicus quidā Leodiensis illā duxit, in tantū eam amans, vt per clausurā ab humanis aspectibus eā remo-*

Cæs. lib. 11. c. 29.

remoueret. Post cuius mortē: illa, de peccatis suis dolens, iuxta Ecclesiam sancti Seuerini se reclusit, vbi ex nimia contritione, sæpe lacrymas sanguineas profudit: insuper & vinculis ferreis se ligari fecit; cum quibus cum stetisset in oratione, omnia dirupta sunt. Timens verò eadem vincula Deo non esse accepta, secundò ligata est: quod cum confessa fuisset Abbati S. Lamberti, dolentē consolans ait: Qui dixit Mariæ Magdalenæ, dimissa sunt tibi peccata tua, ipse vincula dirupit tua, sicq; cōsolata est.

Idem Cæsarius: *Matrona quædam nobilis, sicut mihi retulit sacerdos quidam religiosus, die quadam cum in castro, in quo manebat, sola esset, & nescio quid ageret, vel cogitaret, spiritus fornicationis solam illam esse non permisit. Nam subito tam valide est inflammata, vt huc, illucq; discurrens, stare, vel sedere non posset, ac si ferrum cādens in suo femore excepisset. Cumq; ignem amoris tolerare non posset, ad portarium castri, castitatis oblita, descendit, & vt sibi commisceri vellet, cum multa instantia supplicauit, cui ille, sicut vir bonus, respōdit. Quid est, quod loqueris Domina? vbi est sensus tuus? respice Deum, attende honorem tuum. Illa nihil horum curans, cum à portario repulsam pateretur, nutu Dei, de castro exiens, ad flumen præterfluens cucurrit, aquis gelidis se immersit, in quibus tam diu sedit, donec fomitē ardentis libidinis restingueret.* *Cæs. lib. 4. c. 102.*

Verumenimuero hæc & similia asperæ vitæ exempla eludendi non deest fraus & ars hæreticis; Solent enim obiectare exempla tum Ethnicorum, tum Turcarum, quando proferimus exempla Sanctorum, qui corpus arctè contenteque habuerint, nam & illos olim seuerissimam vitam duxisse, & etiamnum ducere, vt de Turcis testatur Auctor Anonymus, qui captiuus inter eos vixit; Cui Lutherus præfationem præfixit. *Cap. 14. lib. de Vita & morib. Turcarum.*

Si igitur Turci tam rigidam asperamque vitam ducunt, nec tamen inde meliores euadunt, caussæ nil videtur

tur Luthero & Lutheranis cur vitę asperitatem in Christianis adeo extollere debeamus. Quapropter Hæreticus editor libri Anonymi ad verba supradicta hoc adiecit scholiũ. *Si obseruantia stricta, vt vocant, sanctũ facit, hi certe omniũ sunt optimi sancti, & sanctiores ipsis Carthusianis.*

Lutherus quoque in Præfatione dicti libri, Turcis & Papistis asperitatem vitæ & dura pœnitentiæ opera libentissimo & æquissimo animo relinquit, contentus cum suis credere, *Christum esse mortuũ pro peccatis nostris, resuscitatum ad vitã, venturum iudicem super viuos ac mortuos*, & id genus alia. *Si quis hos articulos teneat*, inquit Lutherus, *quid illi noceat; si neq; tam multa ieiunet* (imo si nunquam) *oret, vigilet, abstineat; neq; victu, vestitu, gestu, re familiari tam modestus sit?* Vtar hic aduersus sectarios defensione, qua vsus Tertullianus aduersus Psychicos, & vtar meliore iure, quàm ipse, iam Montani spiritu imbibito, ea vsus est contra orthodoxos. Bene habet, *quod in nostris xerophagiis* (& Sanctorũ actionibus ad carnis macerationem pertinentibus) *blasphemias ingerens*, ô Nouator, *Casto Isidis & Cybeles* (Turcicis superstitionibus & afflictationibus) *eas adaquas: Admitto testimonialẽ comparationem. Hinc* (pœnitentia Sanctorum) *diuina constabit, quam Diabolus diuinorum æmulator imitatur. Ex veritate mendacium struitur; ex religione superstitio compingitur; hinc tu eo irreligiosior, quantò Ethnicus* (& Turca) *paratior*, &c. *Vera si velimus dicere, tu, qui tantum gulæ indulges, & merito te priorem iactitas, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tuæ venis, ita spiritu deficis; si tibi lenticulam defruto infusatam obtulero, statim totos primatus tuos vendes; apud te agape in caccabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet. Sed maior*

Tertull. lib. de ieiuniis.

his

bis est agape; quia per hanc adolescentes tui (Monachi Apostata) cum sororibus (cum monialibus) *dormiunt; appendices scilicet gulæ lasciuia, atq; luxuria est. Quam societatem & Apostolus sciens, cum præmisisset, non in ebrietatibus, nec in comessationibus, adiunxit, nec in cubilibus, nec in libidinibus, &c. Quis sanctior inter vos, nisi conuiuandi frequentior, nisi obsonandi pollucibilior, nisi calicibus instructior? meritò homines solius animæ, & carnis spiritalia recusatis*, &c. *Cur ergò non constanter prædicatis; manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

Deinde insignem prorsus inuerecundiam censeo, Turcarum facta comparare cum factis sanctorum, cum ille ipse Auctor, expresse scribat; &, si non scriberet, res ipsa satis apertè doceret, mira illa, quæ à Turcis patrantur, non nisi ope diabolica, vel mendaciter atque impostorie patrari. Sic enim scribit citato loco iste Auctor. *S. Augustinus de Ciuitate Dei cap. 20. cap. 19. de signis, & prodigiis mendacibus loquens, dicit; quod signa, & prodigia duobus modis dicuntur mendacia. Vno modo; quia decipiuntur sensus hominum virtute, & arte diabolica, vt credatur fieri, quod in veritate non fit; vt sunt phantasmata. Secundo modo; quia trahunt credentes ad mendacium, vt scilicet credant fieri virtute diuina, quod diabolus facit. Vel, vt credant sibi fieri pro salute, quod ad damnationē fieri constat. Vnde, quod ignis de cælo descendit, & combussit familiam, & pecora ipsius Iob, non erat mendacium; licet fieret operatione diabolica, Deo permittente. Istis igitur modis credendum est vnicuiq; fideli, prodigia, & signa innumerabilia, mendaciter fieri per religiosos ipsorum perfidorum Turcorum tam in vita eorum, quàm etiam post mortem.* Cum ergo hæc talia agant & patiantur Turcæ, subsidio Dæmonum adiuti; Dæmoniacum planè factum existimare oportet, si quis ea, quæ sancti

rigidè & asperè egerunt vel tulerunt, cum Turcicis prę-stigiis conferre non verecundetur.

Præterea, nemo vnquam dixit, opera, quantumuis rigidissima & durissima, sanctitatem conciliare, non præiacto veræ fidei fundamento; cum absque fide & charitate Deo placere impossibile sit. Vnde quidquid agant Turcæ, frustra se macerant, nec vllam sanctitatis, vt sic loquar, micā inde acquirunt: *nam si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quamobrem quibuscunque cruciatibus Turcæ corpus suum atterant; hilum nō proficiunt; quandoquidem vera fide carent; nec comparari iure possunt cum religiosis Christianis, quorum afflictationes & κακοπάθειαι fide Christi nituntur ac fulciuntur, & inde profluunt.

At nec isti nostri vera fide instructi sunt. Hoc quidem Lutherus & sectarij affirmant, sed absque probatione. Vociferatur Lutherus, *Christianam religionem longè aliud & sublimius aliquid esse, quàm ceremonias speciosas, rasuras, cucullos, pallorem vultus, ieiunia, festa, horas Canonicas, & vniuersam illam faciem Ecclesiæ Romanæ per orbem. Nam in his omnibus superari longissimè Papistas à Turcis*: Ita Lutherus, nil præter solitum in Turcas benignus; à quo obseruatum oportuit, Christianam religionem consistere in his non præcisè; sed vt cum vera fide iunguntur, & inde, tanquam veræ fidei, vera germina pullulant: neq; enim vera religio operum pœnitentiæ, ceremoniarum, ieiuniorum, festorum, publicarum precationum, & similium institutorum expers esse solet.

Adde ad extremum, omnia, quæ Turcici isti seductores actitant, ad forum duntaxat externamque speciem comparata esse, vt disertè monet Anonymus ille Cap. 14. Auctor,

Auctor. *Si quis,* inquit, *voluerit dicta eorum, & facta priuatim, & in particuli perscrutari, tantam in eis inueniet ambitionem propriæ reputationis, & tantum spiritualis superbiæ venenum, vt hoc, quod dicitur, angelum Sathanæ se transformare in angelum lucis, propriè de ipsis poßit intelligi. Nam ipsi dicunt se, præ cæteris, à Deo electos, & quasi amicos Dei, se ab omnibus debere honorari. Dicunt, se gratiam Dei specialiter ab aliis, & præ aliis consecutos, ita vt nemo poßit saluari, nisi mediante gratia eorum. Et propter hoc dicunt, vota, & eleemosynas totius populi deberi sibi. Vnde si etiam eos aliquis in modico offenderit, statim vindicando, indignationem Dei sibi imprecantur. Quidam enim eorum, dum ad hospitandum venisset, in domum cuiusdam diuitis, in partibus illis, vbi ego eram, non longè distans à villa nostra, erat domus eiusdem diuitis; qui dum circa pecora occupatus cum familia, quia tempus erat pluuiale, non attendisset hospiti secundum voluntatem eius: ille immediatè de domo exiens, vociferando, & imprecando eis indignationem Dei, receßit. Eodem anno in tantum vindicta Dei secuta est, vt in domo illa nec de hominibus, nec de pecoribus aliquid remanserit: quin omnia interierint. Et hoc de multis aliis audiui factum. Vnde multum cauetur ab omnibus, ne in aliquo offendantur. Ex hoc considerare potes, quod ista non sunt conditiones amicorum Dei, qui vult omnes homines saluos fieri; sed ipsius diaboli, qui non quærit nisi perdere.* 2. Cor. 11.

CAPVT XVII.

Defenduntur ea, quæ libro secundo Vapulantis Cap. 1. & alibi paßim disputata sunt.

PRædicantes perpetuo in ore habent contra disciplinas, & reliquas corporis castigationes locum illum Apostoli Eph 5. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*, &c. De quo copiosè disserui lib. 2. de discipl. cap. 1. & lib. 2. Vapulantis cap. 1. Quid Præco? Nil præter Battologias. Quasi Echo quædam, sic omnes soceri sui ineptias recinit; Etiam hanc: *Quidquid amori proprij corporis naturali, citra verbum & mandatum Dei opponitur, id stolidum est, Deoq; displicet. Dilaniatio illa suitica eiusmodi est.* (Remoue verborum calumnias, si potes; & dic; *Disciplina* seu corporis per verbera castigatio eiusmodi est.) Ergo.

Thes. 169.

Respondeo. I Maiorem esse admodum mirificam, cum addit; *citra verbum & mandatum Dei*: quasi aliquid possit esse naturali amori corporis proprij contrarium, quod sit verbo & mandato Dei cōsentaneum; aut quasi non omne illud, quod naturali amori corporis est aduersum; sit malum & repudiandum.

Respondeo. II. Minorem esse *Prædicanticam*, falsam, nauci ac nihili; neq; stabilitur ex loco Apostoli ad Ephesios, nec ex aliis scripturæ testimoniis, quæ Præco congerit, vt suorum oculis fumos offundat, ne Prædicanticam inscitiam videant. Nec immoror; quia omnes istas nugas & delirationes in Vapulante & opere de disciplinis iam dudum profligaui. Defendebant Nicolaitæ impuritatem, & libidinem suam, dicto quodam Nicolai, vnius ex primis Diaconis, quod erat huiuscemodi,

cemodi, ὅτι παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ δεῖ; vt eſt apud Clementem lib.3.Stromat.ſuamq; viuendi & agendi rationem conſentaneam ferebant huic Nicolai effato. ἀκόλουθον γὰρ φασὶ τὴν πρᾶξιν ταύτην ἐκείνῃ τῇ φωνῇ. Quod Ruffinus apud Euſebium ita vertit. *Ex qua occaſione* (dimiſſæ & repudiatæ à Nicolao vxoris, vt quiſquis vellet, eam duceret) *iſti* (Nicolaitæ) *conſequens putauerunt, vt ſecundum hoc factum vel dictum Nicolai, vnuſquiſque carne ſua in quod delectaret, abuteretur.* Heruetus Clementis Græca verba ſic reddidit. *Aiunt enim hanc actionem* (luxuriandi & libidinandi) *illi voci conſentaneam, quæ dicit, quod carne vti oporteat; eius q́; factum & dictum abſolutè & inconſideratè ſequentes, qui eius hæreſin ſectantur, impudenter effuſeq́; fornicantur:* cum tamen, (Clementis iudicio, Nicolaus hoc minimè voluerit; Sed potius per τὸ παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ, docuerit carnem à voluptatibus coërcendam modiſque omnibus cohibendam eſſe: ita vt παράχρησις, *abuſio* hæc conſiſtat in carnis edomatione & afflictione; non in vſu vel abuſu ad omne genus laſciuiæ. *Non enim volebant, vt exiſtimo,* inquit Clemens, de Nicolao & aliis, *contra Domini præceptum duobus Dominis ſeruire, voluptati & Deo. Dicunt itaque Matthiam ſic quoque docuiſſe, cum carne quidem pugnare, & ea vti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam ad fidem & cognitionem.* Ita Clemens, qui Matthiam Apoſtolum deſignare videtur.

Simili propemodum pacto, quo Nicolaitæ dictum Nicolai; interpretantur ſectarij noſtri, continentię & diſciplinæ oſores, ſententiam illam Apoſtolicam Epheſ.5. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam.* Hoc enim Apoſtolico pronunciato, tanquam fulmine cœleſti, proſterni opinantur, quidquid carni du-

rum & asperum accidit; omnes disciplinas, omnia flagella; omnia cilicia, omnes saccos, omnia ieiunia, omnes humicubationes, omnia vota, denique omnia, quæ olim à sanctis carni macerandæ, nobis ad exemplum, adhibita fuêre. *O impietatem*, exclamat Clemens; *etiam voces Domini* (& Apostoli Pauli) *ementiuntur isti intemperantiæ communicatores, fratresq; libidinis, nō solùm probrum Philosophiæ, sed etiam totius vitæ, qui veritatem, quantum in eis situm est, adulterant ac corrumpunt, vel potius defodiunt; qui viuunt, vt volunt; volunt autem libidinosè, se nulla re teneri arbitrati, vt Domini Sabbati, & qui sint quouis genere superiores, filij regales.*

Eiusdem dicti à Nicolao profecti, & deprauationis factæ ab illis, qui voluptuariæ vitæ sese consecrabant, meminit Clemens lib. 2. Stromat. *Tales sunt etiam, qui dicunt, se sequi Nicolaum, adducentes eius viri aliquid literarum monimentis mandatum, sed ab eis detortum, nempe oportere carne vti, sed ille quidem vir præclarus, significabat, oportere voluptates arcere & cupiditates; & hac exercitatione, marcidas, flaccidasq; reddere carnis appetitiones, & insultus.* Pari modo, cum Apostolus dixit; carnem esse *nutriendam* & *fouendam* minimè exclusit, pœnas & castigationes, quibus in officio contineri debet; nam & ipse carni suæ debitum amorem impendebat; & tamen palam profitebatur; ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, *castigo corpus meum.*

Videntur Prædicantes eius esse discipuli, & sectatores, qui, vt scribit Clemens Alexandrinus, ipsa voluptatum fruitione & vsione, aiebat, se contra voluptates dimicare. *Scio me in quandam hæresin incidisse*, inquit Clemens, *qui autem ei præerat, dicebat se per vsum voluptatis pugnare cum voluptate; per simulatam pugnam ad voluptatem profugiens præclarus hic Gnosticus. Se enim dicebat etiam esse*

Clem. lib. 2. Strom.

Gnosti-

Gnosticum, id est, cognoscendi potestate praeditum; dicebat enim, non esse magnum, abstinere à voluptate, qui eam non esset expertus, sed eum, qui in ea versatus esset, non vinci. Vnde per eam dicebat se in ea exerceri. Nisi fallor, eadẽ mens est Prędicantibus: neq; enim alia media & remedia castigandæ carnis seriò præscribunt, quàm quæ carni & sanguini sunt acceptissima; Dico, *seriò*; nam si quid interdum de ieiuniis, vigiliis, humicubationibus, molestiis & laboribus concionantur, id ex labris, non ex præcordiis procedit.

Valdè suauiter declamitat Zeæmannus de amore *Thes.182.* maritorum in suas coniuges, idque proculdubio in gratiam sexus illius, cui Prædicantes potissimum militant. Apud Moschos, quò magis cæduntur mulieres, eo amplius in maritorum amorem exardescunt, *quod si cum nostrarum coniugum moribus componatur*, inquit Barclaius lib.2. contra Monarchomachos, *minus profectò videtur credibile, quàm Parthica Possidonij historia:* præsertim quoad Prædicantissas, quibus non modò non placent verbera, sed nec verba, nisi melle & sesamo condita: propterea præcones isti tam diligenter iucundis sermonibus aures scalpunt cum omnium, tum præcipuè suarum auditricum.

Thesi.187. stringit Zeæmãnus dentes in duas conciones, quas contra librum Heilbrunnerianum (quem Auctor *Flagellationem Iesuiticam* indigitauit) ante biennium Augustæ Vindelicorum in Templo cathedrali habuit *P. Ioannes Sallerus.* Quid peccauit, si stultitiam & fatuitatem soceri tui, ingeniosè, per certarum personarum pro & contra pœnitentiam agentium introductionem auditoribus suis repræsentauit? An non idem mos est sacris literis? Adi, quæso, cap. 9. Iudicum; & si lubet, eandem,

dem, quæ ibi instituitur, prosopopoeiam cachinnis tuis insectare. Nam quod Legato Tartareo in illa actione primus dicendi locus assignatur; non est, quod mireris: Rectè enim ac ordine factum est; cum in soceri tui libro, quemadmodum & in tuo, Diabolus vbique primas teneat, *imò & secundas & tertias, &c.*

Thesi 188. & seqq. probare ingreditur Præco disciplinam esse opus *Diabolicum*; nec tamen quidquam probationum adfert, nisi quod antea Diabolus socero huius in flagellatione sua dictauerat. Nisi fortè hic syllogismus nouum firmamentum censeri debeat. *Cuicunque operi humano omnia ea tribuuntur, quæ passioni, cruci & merito Christi vnicè conueniunt, id non à Spiritu sancto, sed à Diabolo originem suam trahit. Flagellatio est tale opus, etc. Ergo, &c.*

Respondeo breuiter, quidquid sit de Maiore, Minorem esse suo mendaciloquo fabro, hoc est, Zeæmanno dignissimam: nam vt vnicum duntaxat discrimen adferam, quis vnquam dixit aut scripsit, disciplinam, ab vllo homine susceptam, vel satisfecisse vel satisfacere potuisse pro peccatis totius mundi; eo modo, quo passio & mors Christi pro malè commissis omnium, qui sunt, fuerunt aut erunt, satisfecit; generique humano Deum propitiauit? Si hoc disciplinæ nemo sanæ mentis tribuit; quo ore, nisi quinteuangelico, mentiris, omnia illa, quæ passioni, cruci & merito Christi vnicè conueniunt; adscribi & transcribi flagellationi voluntariæ? Num hoc, quod dixi, ab vllo orthodoxorum vnquam transcriptum est? At nos dicimus: *Flagellationem satisfacere pro peccatis.* Omnino. Sed num eo modo, quo passio & meritum Saluatoris nostri? Num pro peccatis totius mundi, vt passio Christi? Num sola sua vi & efficacitate,

vt passio Christi? An non palam fatemur, Flagellationem, sicuti & alia opera satisfactoria, quidquid virtutis possidet, id totum à virtute & valore Dominicæ passionis possidere?

Pari stupore probare conatur Præco Thesi 193. Disciplinam esse opus hypocriticum, *quia est crux spontanea, ergo opus hypocriticum: quidquid enim sponte suscipitur, illud hypocriticum est:* Hypocriticum igitur opus est, quoties Zeæmannus orat; quia sponte orat: quoties ieiunat; quia sponte ieiunat; (imo Nouatores perpetuò vociferantur, ieiunium debere esse spontaneum ac liberum) quoties eleemosynam dat; quia sponte dat. Quoties cilicium vel saccum induit, quia sponte induit; Iam enim pridem concessit hæc & similia opera Deo accidere grata, si iungantur cum precibus ac pœnitentia.

Thesi 199. mentitur Præco, *Disciplinam esse opus scandali & offensionis plenum, cum alias ob caussas, tum propter nuditatem dorsi.* Si hoc ita, tum multo magis opus scandali & offensionis plenum erit, quando Prædicantes & alij Lutherani, prorsus nudi, vt Adamitæ Hæretici, publicas balneas ingrediuntur, vt corpora sua lauent; Et tamen quid vsitatius Prædicantibus? Opposueram hæc & similia Heilbrunnerianis cauillationibus in Vapulante; quæ Zeæmannus silens præteruolat; sola nugamentorum soceri sui Battologica iteratione contentus.

Thesi 223. hunc elumbem syllogismum apponit. *Quodcunque dogma contradictiones implicat, & secum pugnat, id reiiciendum est. Dogma de Flagellatione est eiusmodi.* Negatur Minor. Probat. *Quia Gretserus sibi sæpe contradicit: ergo ipsum dogma contradictiones implicat.* Respondeo, etiamsi Antecedens verum esset, consequentia non nisi fanatica foret; quia fieri potest, vt quis

ſiue ex inſcitia, ſiue ex incogitantia ſcribens de Euchariſtiæ vel Incarnationis myſterio, in antilogias incidat. Num ideo ipſum dogma Euchariſtiæ vel Incarnationis contradictionem inuoluit? An ignorantia vel inconſideratio Auctoris in ipſum myſterium redundat?

Deinde Antecedens eſt falſum; & exempla quæ Præco, tanquam contradictionis meæ ſpecimina, profert, nil aliud ſunt, quam Prædicantici cerebri deliria. Dixi ſæpe, & adhuc dico; *Diſciplinam non eſſe neceſſariam ad ſalutem ex communi omnibus Chriſtianis data lege.* At alibi affirmo, *eius exempla à ſcriptura prodita eſſe, eam in ſcriptura commendari.* Ita eſt. Num ideo omnibus præcipitur? Etiam virginitas, etiam religioſæ vitæ profeſſio à ſcriptura commendatur & proponitur. An eam ob cauſſam præcipitur? At dixi. *Diſciplinam ſaltem generatim præcipi illis generalibus præceptis, quæ ſunt de cruce tollenda & poſt Chriſtum ferenda; deq́ mortificandis membris, quæ ſunt ſuper terram.* Nũ hæc aſſertio contradicit illi; quæ dicit; Diſciplinam non præcipi in ſcriptura ſpeciali & determinato, ad ipſam ſcilicet peculiariter pertinente, præcepto? Nam cum quædam generatim & implicitè tantum præcipiuntur; minimè ſequitur, omnia ſubiecta præcipi ſpeciatim, definitè; ac determinatè; ſed optio alicui datur, vt vel hoc vel illud in ſpecie eligat, & reliquis præferat. Præcipitur generatim, vt mortificemus & caſtigemus membra, quę ſunt ſuper terram. Iam in cuiuſuis arbitrio relinquitur, vt illud faciat vel flagello, vel cilicio, vel chameunia vel ieiunio, (ſi quidem nullum tunc ex præcepto Eccleſiæ ſuſcipiendum ſit) vel alio quopiam ad corpus affligendum accommodato medio.

At vide ſtuporem Prædicanticum hoc modo argumentantem an fatuantem? *S. Paulus, Ieſuita iudice, caſtigauit*

nit corpus, ne ipse aliis prædicans reprobus fieret; Ergo Disciplina cuiuis Christiano necessaria est ne reprobus fiat. Perinde ac si diceret S. Paulus Eremita, S. Hilarion, & alij innumeri ingressi sunt eremum, ne in mundo inter tot labendi occasiones reprobi efficerētur, ergo omnes Christiani obligantur sub salutis discrimine, vitam solitariam sectari; ne in mediis mundi periculis degentes, reprobi euadant. Quasi verò vnum duntaxat sit, illudque *definitè* ac *determinatè* necessarium medium cauendi, ne quis in scelera & flagitia ruat, ruendoq; in reproborum numerum incurrat.

Cæteræ contradictiones, quas Præco Thesi 236. agglomerat, eiusdem sunt sortis; nimirum Prædicanticæ calumniæ & pseudologiæ. Vt, *Disciplinam esse spontaneam: Et tamen à confessario imponi posse.* Quanta contradictio? Libera est disciplina; nisi ex particulari lege, quam quis sibi liberè imposuit; necessariò, ex hypothesi scilicet, suscipienda sit; vt quidem suscipi interdum debet ex mandato superioris, aut statuto religionis, cui quis liberè se & sua omnia subiecit.

Disciplinam, hoc est, verberationem sui ipsius fieri posse, quocunque instrumento ad hanc rem apto & accommodo, salua semper moderationis lege, affirmaui & adhuc affirmo. Num huic contradicit, quòd lib. 2. de Discipl. cap. 2. scripsi, *lanienam illam Baalticam & Ethnicam, quæ cultellis & lanceolis seu siromastis peragebatur, à Deo prohibitam fuisse, quod nimis crudelis esset?* Num hæc corporis dissectio est suiipsius verberatio? Num carnem cultris & pugiunculis discindere, est seipsum virgis, loris, funiculis, vel simili modo flagellare? Instrumentum, quo mulieres linum carminant, Prædicantibus proposui non aliis. Cultellos ad Disciplinam adhiberi

posse ex mea sententia, mendacium est Prædicanticū; vt & illud, quod Thesi 124. effudit; me, Susonis *exemplum præ omnibus flagellantibus laudare; imò & pro virili imitandū proponere*. Lector videat, quæ hac de re libro primo de Discipl. cap. 10. & cap. 12. Vapulantis scripsi. Cui assimile est illud alterum mendacium, eodem loco, de S. Hildegunde virgine; (quam Præco blasphema sua lingua vocat *nobile scortum, & fortè Gallico morbo infectum*) me ad imitationem proponere eius factum, quando particulas quasdam carnis cultello resecuit. Non proposui ad imitationem; scio enim multa Sanctorum potius admiranda, quàm imitanda: sed exposui, quid fecerit. Nec pro exemplo Disciplinæ attuli; sed inter alia pœnitentiæ opera à sanctis patrata, collocaui.

Prætereo cætera, quia nihil aliud sunt, quàm mendacia imperitiæ & malitiæ Prædicanticæ luculentissima argumenta. Vtriusque index est etiam iste syllogismus. Thes. 228. *cuiuscunq; dogmatis hypotheses ita comparatæ sunt, vt vel ex earum praxi αὐτοφονία, hoc est, sui ipsius occisio, sequatur, vel ex earum argumentis ritè concludatur, eandem licitam Deoq; gratam esse, id haud dubiè impium est. Dogmatis de flagellatione hypotheses ita comparatæ sunt. Ergo, etc.* Concessa Maiore, negatur Minor, quam probat Præco. *Potest quis se flagellare, vt Christi passionem imitetur; ergo etiam occidere seipsum.* Negatur consequentia: quia scriptum est: *Non occides*. Vbi autem scriptum? Ne te flagelles. Instat Præco. *Tollenda & ferenda est crux Christi. Ergo etiam crucifixio & mors Christi; quia & hæc pars crucis Christi est; & quidem magis præcipua, quàm flagellatio.* Respondeo, quamlibet crucem Christi à nobis esse portandam; sed non licere, vt quālibet ipsi nobis imponamus. Nam duplices sunt cruces Christi; aliæ, quas & nobis imponere, & impositas

positas fortiter gestare fas est; inter quas & flagellatio: aliæ, quas fortiter quidem ferre debemus, si ab aliis nobis imponantur; non autem nobismetipsis imponere; Et huius generis est crucifixio ac mors; quam, si nobis aliunde inferatur, excipere & tolerare animosè iubemur; non autem nobis vltrò inferre; quia scriptum est; *Non occides*. Ex quibus euanescit tota loquacitas & cænologia, qua hic Præco diffluit.

Affirmat Damianus; licitè posse quem seipsum verberare, vt sanctis Martyribus aliquo modo assimiletur. Accurrit Prædicans: *Perinde est, siue quis ab alio, siue à seipso plectatur, vt Martyrij particeps euadat: Ergo poterit quis seipsum occidere. Morte enim potissimum redditur quis particeps Martyrij*. Respondeo, Antecedens, quod Præco dicit se ex Damiano sumpsisse; intelligi debere de illis, quæ non tantum licitè sustinentur ab aliis illata; sed & quæ licite tolerantur, si ea ipse homo, sua manu & operâ sibi inferat; in his enim parum interest, siue quis à seipso, siue ab alio plectatur. Et huius classis est flagellatio, non autem *αὐτοχειρία* seu suiipsius interfectio.

Aliud telum Prædicanticum. *Deo grata est flagellatio sui ipsius; quia est acris castigatio corporis; ergo & sui ipsius occisio Deo grata erit; quia longe est acerbior quàm flagellatio*. Respondeo, Deo non ideo præcisè placere flagellationem sui ipsius, quia acris est & acerba: sed quia simul etiam est licita & nullo præcepto diuino interdicta. At interfectio suiipsius prohibita est; licet sit acerba; hinc illa licite suscipitur; ista nequaquam. Obstat enim illud: *Non occides*.

Henricum Susonem, & alios sanctos, quorum asperrimam viuendi rationem exposui in libris de disciplinis, & in Vapulante, *seipsos mediatè vel immediatè occidisse*, Thes. 234.

criminatio est Prædicantica. Eiusdem sortis sunt, quæ contra Damianum Thesi 235. eructat. Exemplū puerorum Spartanorum, me Christianis ad imitationem proposuisse; mentitur Præco Thesi 237. Non enim dixi à Christianis agendum id, quod ipsi egerunt; sed turpe esse, si Christianus tam mollis & effœminatus sit, vt carnem suam in honorem veri Dei castigare detrectet, quā Spartani adolescentes in gratiam Cacodæmonis tam duriter exceperunt. Illud denique mendaciis deputa. *eos, qui se ipsos verberant, similes esse circumcellionibus*; in quo insigni mendacio consumit Gripus Thesin 238. & sequentem.

CAPVT XVIII.

Refutatio eorum, quæ Prædicans contra caput secundum & aliquot sequentia lib. 2. Vapulantis deblaterat.

VT alibi, ita & hîc, exscribit Prædicans disputationis meæ frusta quædam, quibus postea subiungit suas pseudologias & ineptias. Nos gratæ vicis ergo Theses eius verbosiores & loquacitate diffusiores in cōpendium redigamus. *Omnis voluntaria læsio corporis repugnat illi Præcepto: Non occides.* Læsionis nomine intelligit Prædicans, etiam verberationem, præcipuè illam, quæ fit cum sanguinis effusione. Citatque Isa. cap. 1. 21. 23. Rom. 3. 15. Coloss. vlt. Respondeo, hinc sequi, S. Paulum peccasse contra illud: *Non occides*; quia corpus suum ὑπωπιάσε, *contudit, liuidum reddidit*; Sequitur II. In idem Præceptum impegisse innumerabiles sanctos; de quibus libro primo huius Agonistici, & alibi passim. Sequitur III. Eius-

dem

dem Præcepti reum effici Patrem, qui filium; Magistrum, qui discipulum; Iudicem quoque, qui furem verberibus castigat, præsertim si vsque ad vibices procedat, vel sanguinem eliciat; quia omnes isti lædunt corpus; hoc est, indolentiam quandam ei eripiunt, doloremque incutiunt. Et tamen Luthero in cap. 2. Ioan. Tom. 2. Nouorum Operum longe aliud visum est vt intelliges ex his eius verbis: Wañ ein Vatter sein Kind/ oder ein Præceptor seinen Discipel nicht steupet/ noch zornig wirdt/ wenn er vnrecht thut/ keine grössere Vngnad köndte er dem Kinde/ vnnd Discipel beweisen. *Non possit Pater aut Magister filio & discipulo maius damnum inferre, quam si peccantem non flagellet, neque ei succenseat.*

Dicet Prædicans, *se loqui de læsione iniusta.* Audio, & subdo. Sed disciplina, seu verberatio proprij corporis, debito moderamine suscepta, non est iniusta; non ergo aduersatur illi Præcepto: *Non occides*; quia huic diuino edicto nulla corporis læsio, nisi iniusta, repugnat. Citationes quas Thesi subiicit, nil aliud sunt quàm imposturæ & fraudes. Tu quære apud Isaiam & Paulum locis à Præcone notatis; Et nihil huius, quod Thesis asserit, reperies.

Ait Zeæmannus; *Proprij sanguinis per verbera vel stigmata effusionem, quæ fit fine & ritu Ethnico, idolisq; colendis, repugnare legi morali; ergo etiam effusionem alieni sanguinis repugnare legi morali, si ob eundem finem fiat.* Quem petis, aut feris Prædicans? Num hoc negaui? Vbi? Quando? Monstra locum. Quis nescit, etiam id, quod alioqui sanctissimum & laudatissimum est, siue in proprio, siue in alieno corpore, agatur, reddi vitiosum, si malus & illicitus finis appendatur? Occinis. *Omnem corporis laniationem* *Thes. 97.*

tionem

tionem aduersari quinto Præcepto. Remoue inuidiosum & calumniosum *laniationis* vocabulum; & substitue illud alterum, *verberationis*: statimque vanitas & fraudulentia tua in aperto erit. Quanquam ne omnis quidem laniatio quinto Præcepto aduersatur; si moderata sit, & absque mutilationis periculo, vt esse solet, cum quis flagellis aut virgis dorsum pulsat, licet dissolutio continui & sanguinis aliqua effusio exsistat. Ego hactenus nullum vidi, qui ex corporis flagellatione vel membrũ, vel vitam perdiderit; & multis illorum, qui corpus asperrimè habuerunt; longè diuturnior lucis vsura obtigit, quàm aliquibus Prædicantibus, qui Disciplinam & vestes cilicinas magis horrescunt, quàm ipsum Cacodæmonem.

Illud insigne Prædicantis mendacium est; *ex doctrina nostra sequi; sub prætextu honoris & cultus Dei, sine legis auctoritate, proximum vulnerari & lacerari, imò & occidi impune posse*. Quæ hæc; quæso, doctrina, ex qua tam immane corollarium nascitur? Num ista? Licitum esse Disciplinam alteri dare, & ab alio accipere, vt fieri solet in religiosorum capitulis; & extra itidem aliquando factum est, quod suo loco aliquot exemplis probauimus. Num ista? Licere parentibus & Magistris filios & discipulos; & Iudicibus reos flagellis & verberibus castigare. Sed neque hæc, neque illa doctrina Iesuitarum propria est, sed Iesuitis cum omnibus rectè sentientibus cõmunis; neque ex illa magis, quam ex pumice aquam; exprimes id, quod Prædicans ex doctrina nostra concludi mentitur. Mentitur Zeæmannus, me docere. *Quinto præcepto eã tantum verberationem, quæ cum vitæ ademptione vitæue adimendæ animo, coniungitur, prohibitam esse*, commentum hoc mihi nunquam in mentem venit.

Hoc

Hoc dixi; non omnem illum, qui contra quintum præceptum, quomodocunque peccat, *homicidam esse*; nam eum, qui alterum iniuriosè verberat, absque ademptione vitæ, vel etiam animo vitæ adimendæ, (vt cum quis proximo suo colaphum iniuriosè infringit; aut alioqui cum pugnis pectit,) homicidam nec haberi, nec dici, vt vulgo notum est; licet peccatum iniuriosæ verberationis reuocetur ac reducatur ad ea, quæ contra quintum præceptum committuntur. Nunc iste & verba & mentem meam flagitiosè peruertit; & id mihi imponit, de quo ne somnians quidem cogitaui. Audi Prædicans. Omnis iniusta verberatio est contra quintum præceptum; *Non occides*; at non ideo omnis, qui alium iniustè verberat, est homicida. Sicut omnis fornicatio est contra illud: *Non mæchaberis*; an ideo inferes? Omnem fornicatorem esse adulterum vel mœchum? Proprie loquendo de adultero & mœcho.

Dixeram, non omnem illum, qui fratri suo irascitur, esse *homicidam*; Etiamsi peccatum iræ reducatur ad præceptum illud: *Non occides*. Præco admodum ingeniosè de gradibus iræ delirare incipit; Ex qua mentis exerratione, si quod argumentulum formare velis, hoc formes oportet. *Ira iniusta aduersus proximum repugnat quinto præcepto de non occidendo, ergo quisquis fratri suo iniustè irascitur, ille est homicida, licet nec implicitè, neq; explicitè fratris interficiendi animum habuerit*; Perinde ac si diceres: Fornicatio, & quodcunque aliud contra castitatem peccatum aduersatur illi præcepto: *Non mæchaberis*; ergo quisquis fornicator est, aut alio modo in castitatis virtutem delinquit, ille est propriè & strictè mœchus. Quis non miretur acumen Zeæmannicum? Quod se etiam valdè exserit, dum contendit maledicta, conuicia, Thes. 100.

detractiones, opprobria, & huius generis alia vitia, in bonum nomen & existimationem proximi grassantia, opponi quinto præcepto de non occidendo; non septimo *de non furando*: vbi profectò Prædicans egregium dat suæ in Philosophia & Theologia morali peritiæ specimen. Ex qua peritia prodit etiam illud effatum; *Peccatum odij opponi quinto præcepto*: nam odium directè aduersatur charitati Dei & proximi, atque adeo præcepto primo. Nec obstat illud 1. Ioan. 3. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*; quia, non propriè, sed similitudine quadam homicida est; aliqua enim ex parte facit id, quod fecit primus homicida Cain, cuius paulò antea meminerat S. Ioannes, qui ex maximo odio fratrem occidit. Quisquis ergo odit fratrem suum, Cain est, atque adeo homicida, per similitudinem & conuenientiam in odio cum fratricida Cain.

Thes. 104. Asserit Prædicans; *Corpus iam posse incidi atq; stigmatibus inuri, dummodo non fiat cultus & religionis gratia.* Et tamen supra disertè dixerat, *Omnem voluntariam corporis læsionem, & sanguinis effusionem, aduersari quinto præcepto.* Nunc spiritu vertiginis circumrotatus, concedit, aliquem aures perforare, & vultui, manibus, pedibusque stigmata inurere ac imprimere posse, dummodo non fiat cum opinione cultus ac meriti.

Sed en horrificam Gretseri antilogiam. In Vapulante dicit: *Disciplinas non esse stigmata*; de quibus scriptura loquitur; at lib. 2. de Discipl. cap. 6. docet: *Licere seipsum cauterizare per ferrum ignitum.* Obserua hîc inprimis geminum mendacium; nam Gretserus absolutè non dicit; licere sibi cauterium inurere; sed respondens ad quoddam Gersonis hac de re argumentum, his verbis vtitur: *At fortè is concedet, qui accuratius introspi-*

cit

cit exempla sanctorum, vt Dominici Loricati, &c. Deinde non sum vsus illis verbis (*in honorem Dei*) quæ Prædicans de suo pectore adiicit. At esto; dixerim id, quod me dixisse mentitur Præco: an corpus seu corporis partes stigmatibus notare, incidere ac perforare licebit, vanitatis gratia; hoc est, vt inaurem auream vel aliquid simile gestes, palamque ostentes; & illicitum id erit, vt caro subdatur spiritui, eique seruiat, & eius imperium nunquam detrectet; quod ad cultum & honorem Dei redundare, nemo inficiabitur, nisi qui, quid sit colere Deum, nunquam didicit.

Nam quod occinit Gener, *illud esse in cultu illicitum, quod non sit diuinitus determinatè præceptum*; id nimis est horridum ac incultum; sed tamen Præconibus Lutheranis non indignum. Adhæc, quæ nam contradictio in his duabus enunciationibus. *Disciplinæ non sunt stigmata. Fortè licet se cauterizare*, vt loquitur Gerson: *seu ignem igne expellere, carnis castigandæ caussa, vt à quibusdam Sanctis factum est*; nam licet hæc secunda, falsa esset, primæ tamen non contradiceret, vt notum est omnibus, qui vel obiter contradictionis leges ac conditiones in Dialecticis degustarunt.

In digressione de incisuris & stigmatibus lib. 2. Vapulantis cap. 4. attuli varias versiones ac Interpretationes locorum Leuitici ac Deuteronomij, & quia tunc translatio Iunij & Tremelij ad manum non erat, hîc referendum existimaui, quomodo loca prædicta verterint.

Versio Tremelij & Iunij Leuit. 19. *Ne circumcidito pilos ad latus capitis vestri; neque corrumpito latus barbæ*

suæ. Neque cæsuram pro vllo mortuo indit[o]te carni vestræ, & inscriptionem stigmatis ne imponitote vobis: ego sum Iehoua.

Scholia Tremelij & Iunij. *Non omni luctu omninò interdicitur; sed immoderato luctu. Hoc autem genus tondendi, Herodoto, & Diodoro testibus, Arabum & aliorum fuit, qui Iudæam habitabant.*

Leuitici 21. ℣. 5. Iunius & Tremelius. *Ne capillos euellendo caluitium capiti suo inducunto, neque latus barbæ suæ radunto; neque in carne sua cæsuram vllam incidunto.*

Scholia Iunij, & Tremelij. *In luctu modum adhibento, vt eos decet, qui resurrectionem exspectant. Idem mandatur populo supra 19. 8.*

Versio Iunij & Tremelij Deuteron. 14. *Filij estis Iehouæ Dei vestri: ne incidite vos, neque inducite caluitium inter oculos vestros propter mortuum.*

Nec operæpretium duco in his diutius immorari; quia Prædicans, præter mendacia, & inscientiam, & perpetuam tautologiam, nihil adducit; nec potuit; quia ignorantissimus est, & nec tantum ingenij habuit, vt quæ in meo libro legerat, intelligenter recitaret ac proponeret.

Nec doctius de octoginta illis viris Hieremiæ 41. disserit, quos ait, *id, quod fecerunt, fecisse ex fermento Samaritanæ*, hoc est, *Ethnicoiudaicæ* religionis. At si scriptura id assereret, aut propter corporis lacerationem reprehenderet, meritò audiretur: sed cum id faciat Zeemannus; æquissimum est, vt sibi anteponi patiatur scripturam, & Interpretes, ex quorum numero sunt Hugo

Cardi-

Cardinalis & Glossa in caput 41. Hieremiæ, qui docent, quorum octoginta isti viri typum gesserint, & qui rectè ac legitimè secundum allegoriam, seu potius tropologiam, gerant, quæ ipsi reipsa fecerunt. Idem etiam ostendit maior his S. Gregorius Magnus, cui ne myrias quidem Prædicantium æquipollet. S.Greg.lib.1. Moral.cap.31.

Sed Zeæmanno nō deest probatio. *Quia octoginta isti viri venerunt ex Samaria, ergo erant Samaritanæ religionis.* Perinde ac si de aliquo, qui tempore Iubilæi Romam, pietatis & orationis gratia concessit; dicerem: *Iste venit ex Palatinatu Neoburgico; ergo est Lutheranus. Iste venit ex Palatinatu Heidelbergensi; ergo est Caluinista.* An necesse est; vt omnis ille, qui ex Palatinatu quopiam venit, sit Lutherista aut Caluinista? Pari ratione, necesse non erat, vt quicunque in Samaria sedem haberent, & ex Samaria Hierosolymam vel in Masphat venirent; Samaritanę religioni addicti essent. Certè istos orthodoxos fuisse, & rectè de Deo sensisse, monstrant omnes circumstantiæ, quibus eorum iter & factum scriptura depingit; vt quod munera & thus attulerint, vt offerrent in domo Domini; quodque, vt alij Iudæi, ex aliis partibus, ad quas diffugerāt, ad Godoliam se contulerint, vel potius conferre cogitarint; reddita iam Iudæorum reliquiis pace; & Godoliæ principatu commisso. Et forsan in Samaria isti stabilem sedem non habuerāt; sed eo duntaxat tempore, quo Hierosolyma à Chaldæis obsidebatur, se illuc periculi vitandi caussa; receperant. Vtcunque sit, friuola & stramentitia est hæc consequentia: *Venerunt ex Samaria; fuerunt ergo asseclæ superstitionis Samaritanæ, quæ qualis fuerit, describitur lib. 4. Reg. cap. 17.*

Quid, quod & Caluinus hos octoginta viros ab omni culpa liberat, vt probaui in Vapulante. Zeæmannus

opponit Caluino Iunium & Tremelium, qui locum Hieremiæ ita reddiderunt: *Rasi barba, & laceri vestibus, ac incidentes sese*: addita hac notatiuncula. *Externo cultu testificantes luctum suum de calamitate publica, more à gentibus accepto, contra legem Leuit. 19. v. 27.* Sed nemo non videt, Pondus auctoritatis Iunianæ & Tremelianæ lõgè leuius esse, quàm vt apud Caluinistas Caluino præponderare queat: Dicent enim, discipulos non esse supra Magistrum.

Ad ea, quæ de planctu funebri, aliisq; planctus speciebus disserui, solita reddit responsa; conuicia scilicet, mendacia & insulsos coccysmos; inter quos iste frequentissimus: *Planctum de quo sacra litera, nihil ad disciplinas facere.* Affirmationem iam vsq; ad nauseam audiuimus; probationem, nunquam: nisi forte probatio censeri debeat, quod R. P. Ioannem Sallerum è Societate nostra, *Suiticum Ecclesiasten templi cathedralis Augustani* appellitat. quia in concione quadã Heilbrunnerianam inscitiam & impietatem redarguere, & ex planctu Dauidis in funere Abner 2. Regum 3. inconsulto Zeæmanno probare ausus fuit, licitum esse carnem suam flagellis seu virgis percutere, & conscindere. Hæc scilicet indignitas dictam bilem Præconi expressit: qui mox de variis plangendi consuetudinibus funeralibus docte admodum dissertare ingreditur; imo confestim in legislatorem transformatus, leges plangendi & lugendi dictat, sed in modum dictatoris pedanei.

Planctum illum magnum, de quo Zacharias cap. 12. accommodaueram ad planctum Catholicis iam vsitatum, præsertim vltima Quadragesimæ septimana, hoc est, ad disciplinarum palæstram & exercitationem. Occlamat fortissimè Præco: *esse alias huius loci explicationes,*

&

& mox expilans commentarium nostri Riberæ in Zachariam, varias expositiones enumerat. At quorsum? An quia hanc statuo, alias repudio? Nequaquam. Ita enim comparatus sum, vt omnem scripturæ sensum, qui cum fide & doctrina sana cumq; morum honestate non pugnat, recipiam & amplectar.

Mentitur deinde à me multoties flagellationem suiipsius vocari *dilaniationem* & *lacerationem*, & qui seipsos flagellant, *carnifices*. Vtinã signasset fideliter loca. Quanquam qua ratione fideliter signaret, cum mentiatur; nam *carnificis* appellatione non ego, sed Damianus est vsus: cum eo litiges, si tibi tantus ob hanc nomenclationem litigãdi pruritus. Nec minus mendacium est, quod dicit; me affirmare; *quodlibet instrumentum in disciplinis adhiberi posse, etiam illud, quo mulieres linum carminant.* Iniuriam mihi facis: non asserui hoc, neque vllus ex libro meo euincet. Prædicantibus proposui muliebre illud instrumentum, non aliis, si fortassis suauitate huius ad disciplinæ exercitium induci possent: non enim cunctos caudæ vulpinæ iuuant, & minimè omnium Prædicantes. Thes.112.

Fusè ostendi corporis per flagella castigationem nec esse Ethnicam, nec Baaliticam, neque vniuersim idololatricam. Quid Præco? Prorsus nihil; quod vel pauxillulum ingenij ac eruditionis resipiat, omnia ex triuialibus Prædicantium circulis desumpta sunt: omnia ex fæce vulgi hausta; vt, *disciplinam esse ritum Ethnicum; quod aliquando simile quiddam egisse legantur Ethnici*: sed simile admodum dissimile. Si ideo quid omittendum & execrandum est, quia in Ethnicorum actionibus assimile quiddam elucet; quid tandem saluum & integrum remanebit? *Non oportet*, inquit Damascenus oratione 2. de

Imag.

Imag. *propter absurdum gentium morem, pium Ecclesiæ institutum auferre. Adiurant incantatores, & impostores: adiurat eos, qui initiantur, Ecclesia. Sed, illi quidem dæmones inuocantes: hæc autem Deum aduersus dæmonas. Sacrificabant dæmonibus gentes: sed & Israël Deo cum sanguinem, tum nidorem offerebat: & Ecclesia Deo sacrificium offert incruentum. Dæmonibus imagines dicabant gentes: sed & Israël imagines colebat, tanquam Deos. dicebant enim; Hi sunt dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Nos autem Deo vero, carnem induto, Deiq; seruis, & amicis, qui dæmonum fugant exercitus, imagines consecramus.* Hæc Damascenus pro se & pro nobis.

Iam verò, quis nugamenta illa plebeia ferat? *Disciplina non præcipitur in scripturis: ergo est idololatria.* Probatur. *Quia omne illud idololatricum est, quod in cultu diuino absque mandato agitur. Disciplina castigatio aduersatur sacris literis, ergo non est mos Catholicus. Non omnes faciunt disciplinas; ergo disciplinam facere non est Catholicum.* Similiter ac si diceres: Non omnes amplectuntur professionem monasticam, non omnes fiunt Doctores Theologiæ sinceræ & orthodoxæ, ergo Monachum & Doctorem fieri non est Catholicum.

CAPVT XIX.

Refelluntur ea, quæ Prædicans de origine Flagellantium nugatur.

Thes. 139. MAGNÆ & multæ lectionis vir est Zeæmannus, qui plurimos citat Auctores de origine & secta Flagellantium; quos tamen omnes vel in meis libris reperit, vel libro sexto Hospiniani de origine Monachatus. Ex his suum Nomenclato-

rem

rem confecit, Historicos ipsos, si ab illo inspectos credas; non iniuria iniuriarum tecum aget, qui tibi persuadeas, occupatissimo tantum otij, & imperitissimo tantum peritiæ suppetere, vt tot & tam diuersos scriptores euoluere queat. Nominat etiam Ioannem Hagen siue de Indagine. Quæso te, vidistine librum eius contra Flagellatores? Vidisse, credo, sed in Hospiniano, & id genus aliis, qui libri huius mentionem faciunt.

Mentitur Præco, *Disciplinas publicas simpliciter à Clemente VI. prohibitas fuisse*; quod mendacium hoc syllogismo vestiuit. *Qui flagellationes publicas approbat, à Papa anathematizatus est, Suita approbant, ergo à Papa sunt anathematizati, & quidem ex cathedra infallibiliter.* Quantus syllogista Zeæmannus, paulò pòst, longissimo interuallo post se relinquet socerum suum, cuius syllogismus fors aliquid efficeret, si Iesuitæ approbarent illas publicas disciplinas, quibus olim *Flagellantes* operam dabant; sed has non approbant, vt fusè ostensum in Vapulante, in Virgidemia, & in opere de disciplinis. Nihil ergo ad illos anathema Clementis.

At probat omnem publicam disciplinam fuisse prohibitam; *quia alias superuacanea fuisset illa appendix: Quod pænitens solus in camera posset flagellare carnem suam.* Superuacua non fuit, quia tangebat illos, qui publicè disciplinas in cœtu & ritu flagellantium fecerant; non alios, qui in hanc classem nomina sua nunquam dederant: Quo factum est; vt ne Auenione quidem, vbi tum Clemens VI. residebat, cessarit publicus disciplinarum vsus; tantum abest, vt in aliis Christiani orbis partibus desierit, ipso Hospiniano teste, quia constabat omnibus orthodoxis, fulmen illud Pontificij anathematis vetare duntaxat vagas illas, nulloque loco consistentes inconditæ plebis disciplinas.

Nec tamen flagellantium secta cum erroribus, quibus infecta erat, eo tempore & decreto Pontificis penitus oppressa est; aut, si oppressa fuit, sæpius repullulauit; vt docui ex Cosmidromio Gobelini in Virgidemia. p.2.cap.19. Quocirca necesse fuit, vt huic sectæ tam pestiferis erroribus deditæ, Gerson & Ioannes Hagen publicis scriptis obuiam irent; quibus non Catholicorum, sed Sectariorum Flagellantium publicas disciplinas insectati sunt, vt de Gersone ostendi in libris de Disciplinis: tametsi non diffiteor, Gersonem, ipsis etiam Catholicorum publicis disciplinis, minus fuisse æquum & fauentem. At plusquam mirum foret, si disciplinæ rigor omnibus, nemine excepto, probaretur. Longè hoc supra communem rerum cursum foret. Quod autem Præco supplicationes illas disciplinantium, quę S. Vincentij prædicatione Thes.349. passim instituebantur, *annumerat damnatorum Flagellantium processionibus*; facit quod impostorem decet: nam ad has non magis spectabant, quàm Eucharistia seu Missa Catholicorum, ad cœnam Lutheranam.

Videtur Prædicans valde sedulus lector lib. de Mortificatione P. Francisci Ariæ ex Societate nostra; quippe quem sæpius citet; vt & hic, vbi de Flagellantium secta sermo est. In bonam spem vocor, fore, vt si libri tam salutiferi lectionem continuet, in Mortificationis palæstra magnos progressus efficiat. At bonum factum fecisset, si integrè recitasset, quæ de supplicationibus à sancto Vincentio institutis Arias scripsit cap. 17. p. 1. *S. Vincentius, vt est in eius vita*, inquit Arias, *prædicatione sua non solùm prouocabat homines ad internum dolorem de peccatis, sed etiam ad acerrimas corporis diuerberationes, quæ sæpè à multo populo, totisq; ciuitatibus circum Ecclesias publicè instituebantur. Id cùm in Francia quoq; fecisset, accidit Lugduni*

militem

militem quendam pessimum, qui omnibus erat scandalo, tandem adire sacerdotem, & peccatorum facere exomologesin. Cui sacerdos loco pœnitentiæ cum iniunxisset, vt in publica aliqua supplicatione disciplinam cum aliis faceret; & ille ægrè tantam pœnitentiam susciperet, non aliud illi mandauit, quàm vt comitaretur saltem in processione: libenter paruit, & spectaculo verberantium durum illud pectus ad tantum criminum suorum dolorem commotum est, vt detractis vestibus, flagro accepto, tam immaniter in tergum suum desæuierit, vt circumstantes omnes mouerit ad lachrymas, ac tandem, ne necem sibi ex immani iteratione ictuum afferret, opus fuerit disciplinam è manibus extorquere. Itaque apud hunc hominem plus valuit bonum exemplum, quàm verborum confessarij autoritas. Forsan Zeæmanno idem eueniet, si quando se vel vicinam Dilingam, vel remotiorem Augustam contulerit, spectatum processiones disciplinantium.

Mentitur Zeæmannus, *malum publicarum disciplinarum, conniuentibus Pontificibus, in Italia & Hispania, ad nostram vsque serpsisse ætatem.* Quomodo conniuentibus Pontificibus, si Clemens VI. publicas disciplinas vniuersim absque vlla restrictione anathemate perculit, vt Prædicantes contendunt? An arbitraris, posteriores diui Petri successores tam fuisse futuros socordes, vt antecessoris sui decretum despicatui palam haberi finerent, si sanctio illa Clementis indiscriminatim omnem publicam per verbera castigationem sustulisset? Quod certè euidenti argumento est, à Clemente non absolutè omnes publicas, sed illas duntaxat damnatorum Flagellantium disciplinas fuisse interdictas. Instituit postea Zeæmannus comparationem sectariorum & orthodoxorum Flagellantium; quam comparationis formam, si velit sequi; facillimè ostendet, inter Christum & la- *Thes.149.*

trones cum Christo crucifixos nullam esse differentiam. Nam vt Christus ante supplicium crucis flagellis cæsus est; ita & latrones illi; vt Christus ad supplicium eductus est, baiulans crucem suam; ita & latrones illi; vt Christus cruci suffixus est; ita & latrones illi. Vt Christus in cruce aliquandiu vixit, & tandem obiit; ita & latrones illi; vt Christus de cruce depositus est; ita & latrones illi. Nullo igitur discrimine distant. Quis verò huc impietatis, nisi extremè impius procedat? Simili prorsus modo stultescit Zeæmannus. *Flagellantes illi pulsabant dorsum: idem hodierni faciunt. Illi vtebantur Flagellis. Vtuntur & nostri. Publicè se cædebant. Idem mos nostris: saltem aliquando. Illis præferebantur cruces & vexilla. Etiam nostris. Illi erant bipedes, sunt & nostri. Habebant duos oculos, præter monoculos & cæcos: & duas aures, præter illos, qui fortè vnam vel vtramque siue noxiè siue innoxiè amiserant. Idem videre est in nostris. Quilibet illarum habebat duas manus, & in quauis manu quinque digitos, qui in summa summarum sunt digiti deni; nisi forsan aliquis mutilus inter illos esset; idē prorsus reperire licet in nostris flagellantibus, nec ouum ouo similius, quàm nostri Flagellantes illis priscis.* Quod si cum Prædicante cæteras similitudines, imò ταυτότητας, *identitates* persequi vellem, finis nullus foret. *Hæc sanè cuiuis intelligenti sufficient, vt oculos attollat, videatque, quàm à vero dissonet, quod Gretserus dicit, orthodoxos, qui corpora sua flagellis mactant, multis parasangis à Flagellatoribus damnatis disparari.*

Thes. 150. Conuicia in Iesuitas, quas pleno cornu Præco in nos efflat, miraremur, si Prædicantium ingenium nesciremus; potius admiratio nos subiret, si sua scelera nobis non tribuerent, præsertim quod ad turbationem publicæ pacis attinet, de qua hîc infrunitæ suæ linguæ Præ-

co

eo frenos laxat; sed cum Zeæmannus nostrorum in libris repererit huiusmodi classicum, quale est hoc, quod ex Lutheri libro *aduersus falso nominatum Episcoporum ordinem* exscribam; tum tubam suam inflare, & belli signum suo ex antro canere poterit. Quid ergo Lutherus? *Tom. 2. Ien. German.*
Weil dann offenbar ist/daß die Bischoffe nicht allein Larven/vnd Götzen/sondern auch ein vermaledeyet Volck für GOtt ist/daß da wider Gottes Ordnung sich erhaben/das Euangelium zuuertilgen/vnnd die Seelen zuuerderben/solt ein jeglich Christen dazu helffen mit Leib vnd Gut/daß jhr Tyranney veracht ein Ende neme/vnd frölich thun alles/was jhnen nur wider ist/gleich als dem Teufel selbst/jhren Gehorsam/als Teufels Gehorsam mit Füssen tretten.

Quæ verba Latinè Tom. 2. Witeb. paulò aliter, sed æquè seditiosè ac sanguinarie sonant. *Omnes, quicunque eo rem, honorem, sanguinem, vitam impendunt, vt hi Episcopatus pompatici, & aulici, tam remoti, & alieni ab omni functione Apostolica, præsertim ministerio verbi, totumq; hoc Satanicum regnum euertatur, & extinguatur; Aut, si re ipsa exstinguere non eis licet, contra clamant, damnant, & tanquam abominationem vitant: Hi sunt filij Dei, & veri Christiani, pugnantes, & decertantem fidem Euangelij adiuuantes, contra portas inferi. Contra, qui regno Episcoporum, tam impio, tam tyrannico, & Satanico phalarismo fauent, & ei libenter obediunt, ac subditi sunt, hi Satanæ ministri sunt, contra Verbum, leges, & sanctiones Dei hostiliter pugnantes.*

Si Prædicantes tale quid legerent in Iesuitæ alicuius libro scriptum aduersus Prædicantes, an non clamoribus & eiulatibus cælum & terrã implerent? Nunc cum Lutherus vniuersos; absque vlla circuitione, ad Episcopos, qui omnes in Germania sunt Imperij Romani

principes, & tres ex illis Imperatorum Electores; exterminandos & funditus perdendos cohortatur; omnibusq; subditis celeusma canit, ne illis obtemperent, bonum factum facit, & paci quàm studiosissimè consulit; Et nil nisi pacem cupit, nil spirat aut sperat, nisi pacem. Vno verbo, maior *Pacificus*, & Irenæus non est in mundo, quàm Lutherus. Sed hæc materies ita comparata est, vt præstet eam non tangere, quàm obiter & leui duntaxat brachio tangere.

Nec mouere quempiam debet, quod postea subiungit Lutherus. *Hanc verò destructionem & deuastationem regni Episcoporum nullo pacto sic accipi volo, quasi manu aut gladio, aut vi & irruptione fieri debeat*; nam hic Lutheri mos est; vt neget se facere aut fecisse, quod facit aut fecit: hominesque suis dictis obsequentes; *seditiosos*; alios autem *stupidos* reddere tentet, ne Lutheri artificium intelligant, videntesque non videant; & intelligentes non intelligant. Optat Præco, vt Iesuitæ exturbentur ex Germania. Caue, Prædicans, ne conuertatur hoc votum in caput tuum, tuorumque symmystarum, & ne in verticem tuum iniquitas tua descendat. Reuocas mihi in memoriam, quod de Ethnicis scribit S. Augustinus. *Sedent Pagani & computant sibi annos, audiunt fanaticos* (Prædicantes) *suos dicentes; aliquando Christiani* (Iesuitæ) *non erunt, & idola illa coli habent*. (Solum Lutheri Euangelium in tota Germania annunciabitur) Patienter exspectent Prædicantes tam exoptatum tempus & nuncium: Nos interea cantabimus.

S. August. in Psal. 40.

Rusticus exspectat, dum labitur amnis; at ille
Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

Thes. 153.

Quæ postea de Gersone Prædicans garrit; ea nihil aliud sunt, quàm febricitantis, & ex febri delirãtis somnia

nia; mendaciis, conuiciis & criminationibus clamosissimis intermixta; quæ præstat non tangere, quia sua sponte in auras diffluunt.

De illo argumento: *Ethnici se aliquando flagellarunt*; *ergo id Christianis non licet*; dictum iam est alibi. Hic iterum specimen edit Præco, quantæ sit lectionis, & quàm tritus in omni genere Auctorum; Plurimos enim adducit, qui Lacedæmoniæ Διαμαστιγώσεως meminerunt; alios item, qui Lupercalia & Isiaca, hoc est, Prædicantica festa, descripserunt. Sed nisi Hospinianũ vel similes libros Præco legisset, forsan ignorasset, num quid tale in illis auctoribus exstaret. Dicebant olim Gentiles, sternutante quopiam: *Ζεῦ σῶσον*; *Iuppiter serua*: boni ominis gratia: Christianis frequens est *salutis* apprecatio; & Germanis illa formula. Gott helff euch. *Deus adiuuet te*. Num ab hoc more abstinebit Zeæmannus, eò quòd apud Ethnicos quædam eius effigies reperiatur? Thes.159. Thes.163.

Audi nunc egregiam pollicitationem, & cuius caussa vel vadimonium deseras. *Quod flagellatio Suitica seu latè seu adæquate considerata apud populum Dei vnquam in vsu fuerit, tum credam, cum Suita ex Mose vel Prophetis id probauerit. Probet & vicerit.* Quid dignum tanto hiatu feret hic promissor? qui fidem non haberet, quamuis hisce verbis disertissimis in veteri scriptura de Mose, Abrahamo, Dauide, vel alio quopiam proditum legeretur: *Seipsum flagellauit*; vel; *verberibus in proprium corpus animaduertit*. Iste ad flagella & verbera metaphorica recurreret. Subit illud quod Epuloni dictum. *Habent Mosen & Prophetas: audiant illos:* Habent ipsum S. Paulum: Habent tot noui testamenti Sanctos. Si Mosen & Prophetas, hoc est, si tot Sanctos non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit; hoc est, neque si cuius ex- Thes.166.

emplum

emplum ex veteri testamento productum fuerit, credent; sed tergiuersabuntur, & elusiones euasionesque quæritabunt; imò si ipse Moyses, Helias, vel Dauid ad Zeæmannum, eiusque socerum è cælo descenderet; testificaturus, se, cum viueret, corpus flagellis castigasse; Prædicans aut fidem non adhiberet; aut eum immensæ stultitiæ & vesaniæ argueret.

Sed quia, vt video, tam longas habes auriculas, vt Lauinga Augustam vsque exporrigantur; ita, vt audias, quid in Templo cathedrali ex suggestu pro concione dicatur; sciscitari ex te Iubet; an non beneficio auritissimi tui capitis audiueris etiam concionem illam, qua, quem tu honoris caussa, *Suiticum clamatorem* indigitas, R. P. Ioannes Sallerus, Cathedralis Ecclesiastes; in Quadragesima Anni M. DCVIII. duodecim argumentis ostendit, Dauidem flagris corpus proprium affecisse. Mirum sanè foret, si hæc concio te fugisset. Parum abest, quin tibi hic duodenarium illum argumentorum reponam; sed vnico contentus ero ex Psalmo 37. vbi B. Dauid: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Quæ verba Magnus Basilius hac paraphrasi declarat. ἐγώ φησι προλαβών, οὐδὲ περιμείνας, ἵνα μου τὶς ἔξωθεν τὸ σῶμα κολάσῃ, ἕλκει πονηρῷ ἐμαυτὸν ἐτιμωρησάμην. *Ego, inquit, anteuerti, neq; exspectaui, dum alius quispiam foris adueniens, corpus meum castigaret, sed vlcere graui meipsum puniui.* (Quod nam hoc vlcus malum, nisi *hypopia* ex hypopiasmis enata?) καὶ τὴν σάρκα μου, δι᾽ ἧς πέπρακταί μοι τὸ ἁμάρτημα, κολάσεσι παρέδωκα, τιμωρούμενος ἐμαυτὸν καὶ κολάζων παντοίαις κολάσεσι, *& carnem meam, qua peccaui, suppliciis subieci, puniens & mulctans meipsum omnis generis pœnis.* (Ergo & hypopiasmis Paulinorum similibus; nam & has inter κολάσεις permissas ac concessas iure numeraueris.)

S. Basil. in Psal. 37.

Nec

Nec refert, quod S. Basilius mox species quasdam *τῶν κολάσεων καὶ τιμωριῶν*, quibus B. Dauid carnem suam afflixit, enumerat: vt; *Humiliabam in ieiunio animam meam. Caro mea immutata est propter oleum. Adhæserunt ossa mea carni meæ*; non enim omnia pœnarum genera recenset, sed nonnulla tantum ex illis, quorum ipse Dauid expressè & signatè mentionem facit. Infra idem S. Pater explicans Prophetæ verba, ita scribit. *διὸ ἀπὸ προσώπου τῆς ἐμβριμήσεώς σου ἐμαυτὸν οὕτως ἐτιμωρησάμην, ὡς κολάσαι τὴν ἐμαυτοῦ σάρκα, καὶ τὰ ὀστᾶ μου μὴ ἔχειν εἰρήνην. Quocirca à facie indignationis tuæ meipsum sic plectere volui, vt punirem carnem meam, & ossa mea pacem non haberent.* Infra idem S. Basilius in illud: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Διὰ τοῦτο, φησιν, εἰς μετάνοιαν τῶν πεπραγμένων ἐλθὼν τὴν ἐμαυτοῦ σάρκα κολάζω καὶ τιμωροῦμαι, propterea, inquit* B. Dauid, *ad pœnitentiam malè commissorum inductus carnem meam suppliciis afficio & punio.* Habet, Prædicans, vnum argumentum ex duodenis de disciplina B Dauidis, interprete & paraphraste sanctissimo Basilio. Nũ adquiescet? An nõ è vestigio circumspiciet de fraudibus, imposturis & futelis, quibus hoc argumentum eludat & declinet? An respectabit ad illud suum? *Probet & vicerit.* Certè non. Quomodo enim Dauidis disciplinam ferret, qui ne cilicium quidem eius, ieiunia, & id genus alia peccatis expiandis apta media tolerare potest, omnia fide sola & nuda transigere consuetus.

Edidit Lutherus Anno M. D. X X V I. libellum hoc titulo: **Das Bapsthumb mit seinen Gliedern gemahlet vnd beschrieben**/ in quo depinguntur singulorum ordinum professores cum suo habitu, plerunque ridiculè, vt ipso intuitu risum moueant; neque enim faber libri illius aliud spectauit, quàm vt omnes status

ludibrio exponeret; subiectis etiam ridiculis rhythmis Germanicis. In horũ numero collocat quoq; *flagellatores* Hæreticos nimirũ, & ab Ecclesia damnatos, cum hac Epigraphe; **Der Geisselherrn Orden.** Quasi secta Flagellantium fuerit Ordo, cum fuerit confusio & chaos quoddam temerè & promiscuè collectæ multitudinis, neque vnquam pro membris *Papatus*, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ, agniti fuerunt, quippe grauissimis infecti erroribus, de quibus in Virgidemia Volciana. Subiiciuntur sequentes Rhythmi admodum *ἄρρυθμοι.*

Klein vertrawen hetten die zu Gott/
Daß er jhn hülff auß jhrer Noth/
Derhalben sie für jhre Schuldt/
Groß Pein litten/ vnd Vngedult/
Mit peinigen/ geisseln/ martern sehr/
Zu erlangen für Gott ein Ehr/
Gantz weiß gekleydet sie stets giengen/
In Welschland erstlich anfiengen.

Etiam Hospinianus in suo Centone de *Monachatus origine*, Flagellantes inter *Ordines* numerat; imperitè prorsus, si non malitiose, vt ex dictis patet. Percenset idem ex Chronico Sebastiani Francki 44. capita peruersorũ dogmatum, quibus Flagellantes illi contaminati erant; de quibus & ego in Virgidemia. Gratias merentur Franckus, Hospinianus & alij sectarij, quod tam diligenter Flagellatorum perniciosam doctrinam memoriæ prodiderint; inde enim liquet, quàm impudenter mentiantur Prædicantes, præcipuè socer & gener, cum clamitant, eos, qui hodie verberibus in corpora sua animaduertunt, similes esse damnatis olim Flagellatoribus. Porro libellum Lutheri de variis ordinibus eorumque iconismis non sine ingenti conuiciorum & contume-

liarum

ſtarum auctario, inſeruit Ioannes Wolfius lupinis ſuis Centenariis, Cent. 14. vbi iſta: *Hic Ordo,* (non fuit Ordo, ſed tumultuaria hominum temerè in vnum collectorum, coitio) *cum maxima fames, & peſtis per vniuerſum orbem eſſet, Peruſia in Tuſcia, ab aliis in Vngaria cœpiſſe dicitur. Albertus Argentinenſis, circa annum M. CCC. XLIX. in Germania ortum affirmat. Ad expianda enim peccata, & ſcelera, reconciliandumq́; Deum, veſtibus ſe exuentes; supernè vmbilico tenus nudi, cætera linteo talari tecti, ſcutica nodoſa, ſiue flagello humeros, atq; pectus ſecabant, & crudeliter ſe verberabant. Vnde etiam ſanguinaria pœnitentia dicta fuit. Inter verbera hos tres verſus recitabant:*

Schlagt euch ſehr/
Zu Christus Ehr/
Durch Gott laſt die Sündt mehr.

Poſtea mentitur Lupus, *Flagellatores ex Germania & aliunde fuiſſe pulſos ob ſacerdotum auaritiam, qui rei ſuæ metuentes, operam dederint, ne pedem figerent, & radices agerent; Et eo fine à Clericis itidem Ioannem Hagen incitatum eſſe, vt publicis ſcriptis eos perſequeretur.* Quod etiam ſocer & gener, inſigne Pſeudologiſtarum par, affirmant. Sed calumniantur, nil præter morem; nam propter pernicioſiſſima placita; quæ ne ipſis quidem Nouatoribus placent, eiecti & pœnis quoque alicubi ſubiecti ſunt, vt docui in Virgidemia ex Coſmodromio: idemque teſtatur Auguſtinus Alueldenſis Franciſcanus, vnus ex primis Lutheri oppugnatoribus in libro de Auctoritate ſummi Pontificis Annno M. D. XX. vbi etiam quoſdam ab illis traditos articulos enumerat, præſertim illos, quos aduerſus Pontificis auctoritatem & poteſtatem defendebãt: indeque oſtendit Lutherum id docere, quod ſexaginta annis antè, in Flagellatoribus San-

gethusensibus Principes Misniæ & Thuringiæ etiã flammis coërcendum & castigandum censuerunt.

Meminit quoq; Wolfius in mendaciorum suorum Centenario vndecimo, Anno M. L. alterius Ordinis, quem vocat *Luceolaniorum*; de quibus nihil, quod animaduerterim, Lutherus, in suo libello, nec Francus in Chronico, nec Hospinianus. Sed audiamus Wolfium. *In regione, quæ dicitur Luceoli, erant eremitarum 18. cellulæ; illorum regula erat, vt nunquam vinum biberent, nunquam adipe alimenta condirent; & saltem vnum in Dominica die pulmentum sumerent; reliquis diebus in pane, & aqua viuerent: orationibus, & manuum operibus insistebant; nihil possidebant. Vixerunt quidam ibi, quorum prodigiosa narrantur superstitiones apud Petrum Damianum eremitam. Cibus eorum fuerat panis cum fœniculo. Vestitus, lorica ferrea, & insuper ferreis quoq; circulis corpus cingebant: se ipsos virgis, & loris verberabant.* Hæc Lupus de suis Luceolanis.

Est autem ad extremum obseruandum, de origine Flagellantium veram esse eorum sententiam, qui eam referunt ad annum M. CCC. XLIX. vt dixi lib. 2. de Discipl. edit. Colon. Et Clementem, ad quem Flagellatores Auenionem venisse dicuntur, & quos ipse etiam damnasse scribitur, fuisse huius nominis sextum, qui Pontificatum iniit Anno M. CCC. XLII. teste Onuphrio in Chronico, & tenuit vsque ad annum M. CCC. LII. vt docet idem Onuphrius. At Clemens V. Pontificatum adeptus est Anno M. CCC. V. Quapropter si qui Historicorum sectam Flagellantium ad anteriora tempora referunt, à vero abeunt, vt ostendi libro 1. de Discipl. Edit. Colon. cap. 14. Si qui originem damnatorum Flagellantium temporibus post Clementem VI. consignant, id non intelligi debet de prima origine, sed

de

de repullulatione, vt sic loquar, & regerminatione: sæpius enim posterioribus itidem annis secta hæc perniciosis fæcunda dogmatibus caput extulit; vt ex Gobelino, & aliis alibi monstratum est; & hoc ipso itidem capite monitum.

Diligenter autem distinguendi sunt Flagellatores sectarij ab orthodoxis, ne misceantur in vnum, quod necessariò euenit, nisi sedulo tam à scriptoribus, quàm à lectoribus discrimen, quo secernuntur, obseruetur. Cuius obseruationis neglectus narrationi huic tenebras non modicas offudit; quibus Nouatores quoque præpediti omnia confundunt ac turbant, tametsi hoc potius ex nequitia & odio veri accidere videatur. Quo fit, vt quidquid de vllis Flagellantium publicis processionibus legunt, id è vestigio Flagellatoribus sectariis attribuant, licet omnes circumstantiæ aliter faciendum esse sonora voce clament. Mira prodidit S. Antoninus de quibusdam Flagellantium processionibus; quas à damnatis illis institutas & obitas fuisse, nemo afferet, nisi qui & Antonino & toti eius relationi aperto vultu contradicere, & verba historiæ in alienum sensum rapere velit. Adscribamus S. Antonini verba, quia aptissima sunt ad illustrandum id, quod hoc loco affirmamus; & ad roboranda itidem illa, quæ de simili processione orthodoxorum Flagellantium diximus ex Sigonio lib. 1. de Discipl. cap. 14. Ita ergo S. Antoninus.

S. Ant. p. 3. hist. titul. 22. cap. 3. §. 3.

Per hæc ipsa tempora anni M. CCC. LXXXVIII. mirabilis factus est populorum motus. Omnis quippe multitudo vestes exteriores induit albas, lineas tamen ad pedes vsque protensas, cum caputiis ad modum capparum religiosorum, quibus facies velabant, ad oculos tantum foraminibus ad videndum relictis. Omnes mares, & feminæ, laici, & clerici, &

religiosi, cuiuscunque ordinis, grandes & paruuli, similibus vestibus huiusmodi incedebant, monialibus, & reclusis exceptis, quibus non licebat claustra exire. Incredibilique deuotionis ardore longa horum de albatorũ agmina ad vicinas vrbes commeabant, processionaliter bini pergentes, pacem, & misericordiam supplici clamore sæpe clamantia; ac laudes, & hymnos in Latino, vel vulgari decantantia, præcipuè sequentiam illam, quam dicunt Gregorium edidisse; Stabat mater dolorosa, Iuxta crucem lacrymosa, Dum pendebat filius, cum versibus sequentibus. Prorsus miranda res, & quasi incredibile negotium, nisi oculis nostris vidissemus. Peregrinatio ista ordinaria erat nouem, vel decem dierum, ieiunantibus, qui poterant, illis diebus, & aliquibus, in pane, & aqua. Accessus verò in aliena oppida, etiam parum antea pacatorũ, liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere tentauit; nemo aduenarum oppressus. Tacitæ cum hostibus induciæ fuêre. Innumeræ paces ex mortiferis, & diutinis inimicitiis in diuersis locis confectæ sunt: confessiones, & communiones frequentatæ.

Cumque proficiscerentur populi in alienas vrbes, & alij in suas aduentarent, mira hospitalitas vbique, & benigna susceptio. A comitantibus prouidebatur de victu etiam millibus hominum sine precio. Durauit hic motus per duos, vel tres menses, aut plus. Vnde autem hoc initium habuerit, obscurum. DEI opus fuisse, negari non potest. Et alij quidem dixerunt, ex Hispania hoc habuisse exordium: alij, in Scotia; alij, in Anglia; nonnulli, ex Francia. De modo etiam dicebatur, apparuisse beatam Virginem MARIAM cuidam rustico, & reuelasse ei, filium suum contra mundum propter scelera eius valde turbatum. Vnde, ad reconciliandum eum, & placandum, illud obseruandum. Nihil tamen certi de hoc habitum est. Primi omnium Lucenses fuêre, viri & mulieres, induti huiusmodi albis numero circa tria millia; qui Florentiã aduenerunt. Nobiles, & ignobi-

ignobiles viri praecedebant: postea sequebantur mulieres, vt dictum est, faciebus velatis Domino decantantes: quibus de victu prouisum est à communitate: & ad Lucenses prius venerant Ianuenses talibus induti cum eisdem ceremoniis. His conspectis tantus confestim deuotionis ardor consecutus est; vt etiam, qui ante rem auditam deriserant; primi omnium suorum ciuium vestes similes assumerent: & quasi à Deo correpti motu simili vagabantur. Aduenerunt postea ex Pistorio simili habitu induti numero quatuor millia: post hos, ex Prato. Decretum igitur fuit Florentiae, vt diebus nouem processionaliter pergerent per ciuitatem, vel extra propè ad diuersas Ecclesias Laici ordinati per sua quarteria cum signo suo viri primò bini cum Clericis, & religiosis albis lineis induti: quos sequebatur Episcopus ciuitatis etiam lineis coopertus. Nec aliquis ex tali habitu erubescebat; sed milites, Doctores, mercatores, sapientes, & insipientes, sequentibus etiam mulieribus, senibus cum iunioribus, cum canticis, & laudibus. Circa finem Augusti hoc inchoatum est Florentiae. Et de mane quidem, omnes simul: post prandium verò, diuidebantur in plures societates, euntes extra ciuitatem ad diuersa loca deuotionis causa, vt Fesulas, Miniatem, & huiusmodi. Deferebatur verò ab omnibus societatibus imago crucifixi sculpta, vel saltem picta, in ante, pro vexillo. Post nouem dies conuenerunt insimul plures mares, & feminae, constituentes diuersas societates ad proficiscendum longius, per diuersa loca distantia territorij Florentini: aliqui, Aretium; aliae, ad sanctam crucem Vallis Arni inferioris; aliae, aliò. Quocunque autem perueniebant albatorum agmina, eorum locorum incolae simili exemplo mouebantur. Et ita ex Gallia in Hetruriam, ex Hetruria in Vmbriam; ex Vmbria in Sabinos, Picentes, & Marsos, ceterasq; subinde gentes progressa commotio, ad extremas Italiae oras peruenit, non vllos in populos non peruagata. Ex his diuina clementia quandam

dam præparationem hominibus procurauit ad mortem eius propinquam. Multi enim, & magni, & obdurati peccatores conuersi sunt tunc ad pœnitentiam; quos Deus ad se vocauit anno sequenti, peste grassante Florentiæ, & postea, in Gallia; vt illud alludere videatur, quod dixit Christus; videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem, scilicet colligendam per falcem mortis. Dum hæc religio tenuit animos, nihil de periculis belli cogitabatur. Sed postquam finis fuit *dealbatorum feruori, ad primas rursus curas animi redierunt.*

CAPVT XX.

Breuiter confutantur ea, quæ Zeamannus in tertium librum de Disciplinis & Vapulantis euomuit.

LIBRO tertio de Disciplinis & tertio Vapulantis recensueram fructus & effectus Disciplinæ, qui potissimum sunt meritum amplioris gratiæ vitæque æternæ, & satisfactio pro peccatis, seu pœnis temporalibus, quibus adhuc ob malè commissa homo est obnoxius. Hîc Præco latè patentem campum nactus digreditur in Disputationem de meritis & satisfactione; nobisque plenu cornu deliramenta Lutherana recinit; quasi nemo mortalium hactenus sciuerit; *Lutheranos vix cognoscere vllam satisfactionem, nisi illam, quæ in symposiis ὁ συμπότης τῷ προπίνοντι ἱκανοποιεῖ.* Vbi etiam admittitur, saltem aliquando, satisfactio vnius pro alio; ita vt validior debitum infirmioris in se recipere atque exsoluere queat. Et mirum sanè est, Isslebium in commemorabili illa *merenda* à Luthero instituta, non confugisse ad hanc Luthero satisfaciendi rationem. Reperisset vtique, qui nomen illud expunxisset; & quidem probo nummo, vel potius haustu.

Thes. 209. & seqq. & alibi passim.

Quam-

Quamuis autem Nouatores satisfactionem penitus auersentur; illud tamen adhuc eis intolerabilius accidit; si quis satisfactionem suam alteri liberaliter applicet ac transcribat. Hoc cum fieri audiunt, toti in fermẽto iacent, & biliosissimè versiculos illos suos intonant. **Es ist mit unserm thun verlorn/ wir verdienen nichts als Gottes Zorn.** *Actum est cum nostris operibus; nihil meremur nisi iram diuinam.* Quod verissimè canitur & affirmatur de operibus Lutheranis, quà talia.

Aërius apud S. Epiphanium hær. 75. contra preces & sacrificia pro mortuis iuuandis hunc in modum argumentabatur. εἰ δὲ ὅλως εὐχὴ τῶν ἐνταῦθα τοὺς ἐκεῖσε ὤνησεν, ἄρα γοῦν μηδεὶς εὐσεβείτω, μηδὲ ἀγαθοποιείτω ἀλλὰ κλισάσθω (forsan κτησάσθω) φίλους, τινὰς δι' οὗ βούλεται τρόπου, ἢ χρήμασι πείσας, ἤ τοι φίλους ἀξιώσας ἐν τῇ τελευτῇ, καὶ εὐχέσθωσαν περὶ αὐτῶν, ἵνα μήτι ἐκεῖ πάθῃ, μηδὲ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γινόμενα τῶν ἀνηκέστων ἁμαρτημάτων ἐκζητηθῇ. *Si omnino preces viuorum prosunt mortuis, nullus igitur pietati studeat, nullus bonis operibus operam impendat; sed amicos quosdam quocunque modo sub extremam vitæ horam sibi conciliet; precesq́; pro eo fundant, ne quid mali in altera vita patiatur, & ne rationem reddere cogatur, enormium, quæ hîc perpetrauit, scelerum.*

Eodem ferè modo argumentantur hodie hæretici contra *Indulgentias*; item contra applicationem satisfactionum, cum alter pro altero satisfacit, vel satisfactionis suæ fructum ei transcribit & donat. Sed non aduertit Aërius, neque hodierni etiam sectarij aduertunt, vt preces defunctis, & Indulgentiæ alienæque satisfactiones viuis & defunctis prosint, oportere; vt isti gratia diuina præditi hinc excesserint; illi verò in eadem gratia vitã tunc agant, quando eis Indulgentiæ vel alienę satisfactiones applicantur. Nã si gratiæ sint exsortes, ad mor-

tuos nullus fructus redit; ad viuos, non ille, qui rediisset, si mentem diuina gratia exornatam habuissent.

Sed quia gener & socer eius mirificè delectantur monumentis Petri Damiani; magnam & solidam gratiam me ab illis initurum spero, si quid ipse de satisfactionis alienæ debito in se suscipiendo senserit & scripserit; hîc exponam; adscripta eius epistola: nam video noua Damiani opera nondum ad horum Prædicantium manus peruenisse; cuius disputatio vt clarior euadat; obseruandum est, dupliciter pro alio *satisfieri* posse. I. Si fructum meæ satisfactionis alteri donem. II. Si in me recipiam obligationem satisfactionis, qua alter tenetur: siue sit satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ imposita; nam & hanc per alium aliquando, & certis in casibus perfici ac impleri posse, docet ex multorum Theologorum sententia Franciscus Suaretz Tomo 4. de Sacramento Pœnitentię, Disp. 38. sect. 9. Siue sit satisfactio ex præscripto Canonum vel mandato superioris, etiam extra Pœnitentiæ Sacramentum, perficienda. De posteriore hac satis faciendi pro alio ratione potissimum agit Damianus ita scribens lib. 6. epist. 20.

Quod præsens sæpe inculcaui, nunc absens scribo; & ne fluctuantis materia more decurrat, funiculũ scriptionis innecto: videlicet, vt implere valentis pœnitentiam nullatenus inordinata charitate suscipias: quod si susceperis, instantissima, prout vires suppetunt, agilitate persoluas. Porrò cum canonica vetet auctoritas, vt pœnitenti sacerdos vnius diei ieiunium non relaxet, nisi ad præsens digni precij taxatione per eleemosynam compenset: qua conscientia tam metuenda alienæ cautioni obligamur, qui, quàm sit propinqua vitæ nostræ meta, non nouimus? Dominus planè Martinus, qui in Camaldulensi eremo commoratur, vir videlicet diuersis virtutibus adornatus, &

præ-

præcipuè iugibus lacrymarum fluentis irriguus, mihi retulit, quod narro: Monachus erat, inquit, in maritimi territorij cœnobio, quod dicitur ad Pinum, multis peccatorum nexibus inuolutus, cui, cùm iuxta quantitatem lapsuum, austerior, ac longa nimirum pœnitentia fuisset indicta: ille fratris cuiusdam, cui complex in amicitia familiarius adhærebat, ad comportandum pœnitentiæ pondus, auxilium petiit. Quod frater ille deuotè suscipiens, condictam pœnitentiæ partem tulit, atque de persoluendo huius debiti canone, securum manere præcepit. Sed, dum ille partito leuigatus onere, à districtioris vitæ censura remittitur; iste ad solutionem debiti prolixioris sibi vitæ spatium pollicetur, aliquanto post in ægritudinem cecidit, atque subito mortem, quam procul esse sperabat, incurrit.

Fuerat autem ille frater, quantum ad se, irreprehensibilis vitæ, & opinionis inter fratres honestæ. Non multis verò postmodum diebus pœnitenti monacho in somnis apparuit; quem ille protinus inquisiuit: quid erga te, frater, agitur? quomodo tibi est? Malè, inquit, & durè: sed propter te. Nam liber à propriis, quia tuis me vinculis innodaui, & alienæ cautionis obnoxius, non reddidi, nec persolui, flagellis atteror, & amara satis animaduersione coarctor. Vnde, quæso te, & qua valeo, supplicatione, deposco: vt vigiles pro te, ac liberes me. Vade itaque, & sanctum huius loci precare conuentum, vt debita mea sponsionis à me neglecta persoluant: sicq; me, quæ præstò sunt, suppliciis eruant. Expergefactus ille, fratribus, quod viderat, retulit; quod audierat, intimauit: preces exposuit, efficaciter impetrauit. Porrò autem, cum iam fratres præfixam illius pœnitentiæ quantitatem diuersis argumentorum specialium exercitiis expleuissent: præfato monacho frater ille per visum rursus apparuit, eiq; festiuitatem serenitatis, & alacris vultus ostendit. Interrogatus iterum quid haberet; respondit, se per orationes fratrum non modò pœnalibus incommodis erutum, sed etiam ad

electorum sortem, mirabili dextera excelsi immutatione, nuper translatum.

Hæc Damianus; quę palato generi & soceri eius *dulciora super mel & fauum* euenient: ita vt ambos exclamaturos arbitrer: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua*, ô Petre Damiane, *super mel ori meo.*

Quid mirum, istos in satisfactiones tam proprias, quàm pro aliis susceptas iniquissimos esse, cum omnia bona opera simpliciter repudient; & sanctos his operibus deditos irrideant; & sub finem eos hoc operum pręsidio destitutos vel desperasse vel ad Lutheranum illud de sola in Christum fide asylum confugisse: mentiantur Quod nominatim de S. Hilarione Eremita facit Lutherus, cum alibi sæpe; tum in cap. 17. Ioannis. Crassus vbique fuit Lutherus dictis, factis, vita, moribus. Vix tamen vspiam crassitiem suam magis exeruit, quàm cum de pœnitentię operibus sanctorumque exemplis sermo incidit; vt proinde non immerito mirari liceat, quomodo factum sit vt Lutherus, tam crassus, vitaq; & doctrina tam flagitiosus & inquinatus hæresiarcha tot asseclas tã citò repererit; nisi quis cogitaret, Lutherum in sæculum Noëtico perquam simile incidisse; quo *omnis caro*, præsertim in Germania, *viam suam corruperat.* Nihil autem insuetum, si carnale Euangelium caro obuiis vlnis amplectatur. Olim nonnulli ex sectariis vitam, externa saltem specie, honestam & austeram ducebant. *Si fidem interroges*, inquit de quodam Hæretico S. Bernardus, *nihil Christianius*, si conuersationem; *nihil irreprehensibilius; & qua loquitur, factis probat. Videas hominẽ in testimonium sua fidei frequentare Ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, confessionem facere, Sacramentis communicare; Quid fidelius? Iam quod ad vitam moresq́; spectat, neminem*

S. Bern. serm. 65 in Cantica.

concu-

concutit, neminem circumuenit, neminem supergreditur; pallent insuper ora ieiuniis, &c. Num hæc de Luthero dici possunt? An non potius illa; quæ idem S. Bernardus alibi memoriæ prodidit de Henrico Hæretico. *Homo Apostata est, qui relicto religionis habitu*, (nam Monachus extitit) *ad spurcitias carnis & sæculi, tanquam canis ad suum vomitum est reuersus*, &c. *Frequenter post diurnum populi plausum, nocte insecuta cum meretricibus* (cum Catharina Porna) *inuentus est prædicator insignis*. Et tamen nil nisi carnem & sanguinem ructans cupidissime auditus Lutherus, & velut cælo lapsus Propheta excipitur. Sed iam Agonistico huic finem impono verbis B. Dionysij Papæ in Epistola ad Seuerum Episcopum. *Lingua nostra* (& calamus noster) *bonis fomentum sit, prauis aculeus: timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortãdo succendat, refugientibus suadeat; asperis blandiatur; desperatos consoletur, vt quia Doctores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus.* S.Bern. Epist. 240.

Finis Agonistici.

APPENDIX
Ex Metanœologia P. Edmundi Augerij.

SCripsit Edmundus Augerius, Societatis nostræ Theologus, linguâ Gallicâ Metanœologiam pro Archicongregatione Pœnitentium Annunciatæ Virginis, dicatam HENRICO III. Galliarum Regi. Præfixa est Bulla Gregorij XIII. qua Fraternitas illa approbatur, & Indulgentiis donatur. In eo libro describit Augerius instituta, morem, ritum, consuetudines, actiones, & vniuersas pietatis exercitationes, quibus sodales illius cœtus viuere & regi, studiumque & operam impendere solent. Et quia de Disciplinis, ciliciis, sacco, itemque de Disciplinantium processionibus non pauca in eo libro (quem ex Bibliotheca Reuerendi & eruditissimi Domini *D. Antonij Velseri*, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis, &c. adeptus sum) differuntur, gratum Prædicantibus, præsertim Zeæmanno & Heilbrunnero me facturum existimaui, si aliquot capita ex Gallico verbatim fermè translata, ad calcem huius *Agonistici* adiungerem; vt intelligant, mecumque gaudeant, hoc pœnitentiæ genus non tantum in vtraque India, Iaponia, Hispania, Italia, Germania, sed & in Gallia florere ac frequentari.

Etsi id de Gallia, licet non sine grandi cruciatu, Hospinianus Caluinista agnouit, & palam confessus est.

Qua-

Qualisnam fuerit Secta veterum Flagellantium ex quorundam sententia, quantumue eam detestentur nostræ ætatis Pœnitentes?

Ex Metanæologia Edmundi Augerij.

CAPVT XXII.

QVEMADMODVM Nouitatem aliquam introducere ac statuere velle absque conditionibus adhuc recensitis, nihil est aliud, quàm Ecclesiæ sanctæ puritati labefactandæ machinas admouere, ita insigni sacrilegio non caret, errores pridẽ ab ea damnatos velle restituere; adeoque, si, quod sibi persuadent nonnulli, familia nostrà priscis illis veterum Flagellatorum sectis esset persimilis, idque manifesta veritate conuinci posset; non esset quo nos iam tueri iustè possemus: at longe aliter, Deo laus, sese res habet; neque enim tam nihil legerunt aut retinuerunt viri ex hac familia doctissimi, variis per orbem locis dispersi, vt medium tenere nesciant, cauereque ne in eum impingant lapidem, qui conterit temerarios, comminuitq; superbia elatos. Horum Flagellantium circa annũ Domini M. C C. L X X. ac rursum Rudolphi & Ludouici Impp. temporibus per orbem discurrentium qui scripserunt historiam, ea notarunt grauissimeque in ipsis reprehenderunt, quæ nostri quoque Pœnitentes execrantur, quæque non eo solum tempore sed omni plane ætate à Christianis blasphema omnique impietate plena semper iudicata fuerunt. *Aug. cont. funda. c. 9. & cont. Faustum l. 33. c. 6.* *Matth. 21.*

Quid enim aliud est quam mera mania & furor; dicere, *Baptismum penitus aboleri eo lauacro quod quiq; nostrum, ex suo sanguine conficere teneatur, idq; significatum fuisse miraculo mutationis aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ?* quis veterum Marcionistarum tam crudè desipuit vnquam? annon hæc est compendiosa annihilatio Crucis Christi? an non hoc est illum gratis mortuum defendere? cum vt impudentes hæ linguæ mentiebantur, *Errores Flagellantium.* *Ioan. 2.* *Rom. 4.* *Gal. 2.*

quisque

quisque suus ipse Sanctificator & Redemptor esse teneatur? annon insignis erat dementia asserere *post apertas suas scholas Euangelium finem habuisse*; stultitia profecto directe opposita ei, qua nostri Reformatores iactitare sese solent Euangelium ante aduentum in Gallias suum, sepultum iacuisse. Deinde quænam sunt hæc Axiomata? *Esse se antiquis illis martyribus præstantiores, quòd Martyres maximam partem, non vltronei & vultu hilari, neque propriis manibus, vt ipsi, sed coacti, operaq; Carnificum sanguinem suum profuderint?* Rursum, *hanc cutis suæ lanienam plus momenti ac ponderis habere quam Confessionis Sacramentum? Aquam nostram lustralem nihil distare à reliquis fluuiorum aquis? Fas esse cuiq; peierare modo lingua mens non concordet?* Hæc videlicet sunt fanatica deliramenta, in quæ Ecclesia Dei fulmen excommunicationis contorsit; non autem in vllam eorum dignam laude actionem, cuius, vt supra dictum, non sunt ipsi primi inuentores, sed eam ab antiquis patribus magnis veræ Pœnitentiæ amicis acceperunt, quorum Simiæ tantum quædam, pro veteri Hæreticorum more, esse studuerunt.

Quando enim Concilia notant ac reprobant Hæreticorum dogmata non ea item damnant, quæ forte cum Ecclesia Catholica habent communia, sed peruersa solum, erronea, ac impia, relinquendo interim tum ipsis tum nobis salua & integra ea, quæ recte cum Ecclesia Catholica sentiunt cuius iudicium si admitterent in omnibus, vt in quibusdam faciunt, nulla pridem essent dissidia, iurgia, rapinæ. Quæ caussa fuit olim, vt Nouatiani ex omnibus Ecclesiæ hostibus ab Episcopis Catholicis æquius faciliusque tolerarentur, quòd exceptis vno alteroue punctis, circa Politiam nonnihil cum Doctrina permixtam ab orthodoxis non differrent, cum interim Manichæi, Sabelliani, Ariani aliique eiusdem farinæ homunciones execratis erroribus penitus immersi perpetuò pestes quædam exitiales iudicati fuerint. Cæterum quod ex se bonum ac laudabile est, hominis nequitiâ corrumpi non potest, vt malum sit, abusus enim abutentis est, vt & detrimentum, cum interim sincera mens eadē ipsa re scienter & ex virtute vti norit. Quod in fructibus putridum est, abscinditur & abiicitur pedibus con-

conculcandum, quod autem sanum ac integrum, id vero patrifamilias imprimis inseruit. Mala intentio in bonis actionibus pessima, qui vero eam sinceritati & rectitudini restituit, geminat actionis laudem. Alioqui quid dicemus de Ieiunio, *Matth.6.*
Eleemosyna, Oratione, Sacrificiis, ipsa deniq; sacra Scriptura, quibus Pharisæi in ipso filij Dei conspectu abutebantur ad distortissimos fines suos? Supplicationes populi Rom. nudis pedibus in Iouis Aquilegis cultum celebrari solitæ, Idololatricæ fuère, cum tamen hæ ipsæ supplicationes Deo vero ab Hebræis decretæ, plenæ essent pietatis. *Ioseph.l.2.de bello Ind.* Si igitur egregij illi verberónes hac in carnem suam austeritate abusi sunt ad alia sua flagitia cõtegenda, qui illud ipsum præstat ad animum in pietate ac virtute confirmandum ac stabiliendum, annon ille laudem promeretur restituendo vero vsui, quod per abusum fuerat deprauatum? annon hæc illa est sapiens ἐπανόρθωσις & correctio Filij Dei? tu autem, inquit, cum ieiunas, eleemosynam largiris, Deum oras, non id facias sicut hypocritæ consueuerunt, non coarguens ipsam operis substantiam, sed addititium fucum condemnans.

Quod non eò dico vt defendam (hoc quidem loco) disciplinarum in hac Congregatione vsum, tametsi eæ ad cingulum gestentur, sed vt intelligatur quod in hoc genere præstatur ab aliis per orbem Congregationibus (adeoque in ipsamet S. Hieronymi quæ cæruleo colore vtitur, non ita pridem Parisiis apud Mathurinos instituta cuius primarius præses ex electione est D. Cardinalis de Ioyosa, annis quidem iuuenis sed sapientia, moribus & ætate senex, in qua sunt in vsu frequenti ea, quæ inferius sum commemoraturus) non eò fieri, vt cum sectariis illis disciplinantibus quicquam commune habere velimus, sed potius vt iis vestigiis constanter insistamus quæ primi Spiritus sancti discipuli in via Pœnitentiæ nobis impressa reliquerunt. Certe vnus quidam illorum scribens qua ratione aduersus semetipsum decertet, magna quadã austeritate corpus suum castigans, & spiritui subdens, ne cum aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur, vtitur verbo ὑπωπιάζω quod in *1.Cor.9.*
sui Etymi ratione dicit nigris quibusdam notis carnem liui-

dam reddere, quod verum reperient ij, qui diligentius eiusdem vocis originem inuestigare voluerint. Amputare sibiipsi membra, & corpus mutilum reddere, vt faciebant Baalitæ incidendo se cultris & lanceolis idoli caussa superstitio fuit abominanda, idipsum vero præstare Religionis in Deũ caussa, vti Abraham fecit, præputium suum præscindendo actio honestissima fuit, fuit & perforatio auriculæ seruorum qui heros suos nunquam deserere decreuissent, cum tamen grauibus minis coërcerentur Virgines, si quę ad appendenda ornamenta & gemmas, aures perforassent.

3. Reg. 18.
Gen. 17.
Exod. 21.
Isai. 3.

Io. Gerson. lib. contra flagell.

Quod autem attinet ad flagellum ipsum, de eo plura inferius. Iam vero quis nescit acerrimum quendam illorum erronum Aduersarium nunquam eousque progressum, vt receptam inter Christianos flagris in sese animaduertendi consuetudinem omnino improbaret? quin potius adfert aliquas conditiones quæ disciplinæ vsum laude dignum efficiant; primum quidem, si superiorum fiat cum approbatione, deinde si excessus caueatur, tum si scandalum vitetur, tandem si sine sanguine, postremo si sine ostentatione fiat. Atque ita fieri, ait ipse, tum à Religiosis in Monasteriis, tum à piis sæcularibus priuatim in suis cubiculis. Hi nimirum sunt limites adeo authenticè solenniterque contra phreneticos illos flagriones constituti, at in quonam exceduntur illi ab hoc pio cœtu? Neque enim Superioris nomine intelligunt Priorẽ aut Guardianum; hæc enim Monachorum sunt propria, sed Pontificem, Episcopum, Rectores, Confessarios aliosque prudentes virtuteque insignes sui cœtus moderatores, quorum consilio, hortatu, authoritate res ista suscipitur, quod si quisquam nonnihil aliquando excedat, id lex non intendebat. Si Epicureus aut Pharisæus quispiam ob pium eiusmodi opus offenditur, offenditque grauiter, sui ipse damni auctor est, virtutum enim exercitationes prudentum ac probatorum hominum iudicio suscipiendæ sunt, non Carnem tantùm sapientium ac ventris mancipiorum approbatione, qui nolunt iter ad cœlos ingredi nisi holoserico stratum rosisque inspersum conspexerint. Quod si in hoc Gymnasio etiam sanguis nonnunquã inter

ter verbera conſpicitur, non propterea omnino excoriantur ſtudioſi Gymnaſiſtæ, imo vero minus ſanitati obeſt illud flagelli genus (pace huius Doctoris dixerim) quod ſanguinem elicit, quã id, quo ſolum exaſperatur & liueſcit caro. At aliena hoc manu, non propria inquis præſtandum. Is de quo paulo antea mentionem feci athleta, *Caſtigo*, ait, non; Caſtigor; quaſi dicat, in hoc opere alienas operas non admitto. Accedit quod Orientalibus & Meridianis populis non permittitur cędere ſeſe inuicem niſi forte in actibus quibuſdam publicis, idque Senatus auctoritate. Ipſimet in ſemetipſos animaduertunt, ſic enim & moderatior eſt menſura & periculum minus. Et vero ſine cholera aliqua nemo ſocium ſuum queat probe flagris excipere.

Quod ad obiectam oſtentationem attinet, in reciprocam illam duntaxat Lacedæmoniorum adoleſcentum diamaſtigoſin facit, qui vt fortes haberentur, & magnanimi mortis cõtemptores, in conſpectu ipſorummet parentum eos adhortantium, ſeſe virgis eo vſque proſcindebant, vt ante animam efflarent, quàm vllum victi doloribus animi ſignum darent. Tragœdia certè, quæ merito obtrectatoribus noſtris ora impudentia obturare deberet, qui tantopere offenduntur noſtris adeo leuibus Pœnitentiæ operibus, pro Dei amore ſuſceptis tum ad ſubiiciendam ſpiritui carnem, & vindicanda in auctore ipſo admiſſa piacula, tum ad deguſtandam nonnihil & ſpontè ſubeundam purpuratam illam ſanguine filij Dei Crucem, quando cæci miſerique illi Gentiles ſeſe in acerbiſſimos cruciatus ipſamque mortem coniicerent ob adeo inſulſam vanitatem; quamquam, vt verum fatear, non videam quiſnam noſtrorum hominum tam poſsit eſſe inſipiens, vt incertum ac vile laudari tanti emere velit, cum ea pugna occulta & tecta pugnetur. Adde quod illæ corporis afflictationes ita ſuſcipiuntur, vt agnoſci nemo omnium, niſi forte à confligentibus, poſsit. vultus cuiuſque ac nomen ſacco obruitur, tum ludus iſte adeo aſper & acerbus cuditur in tenebris, extinctis luminibus, gemitibus, ſuſpiriis, fletibus ita miſcetur vt vel ſa-

xea pectora colliquescere queant. Quod si quisquam iis ageretur furiis, vt publicè cæderet sese ad hoc vt videretur, prædicaretur, vitæ asperioris amicus haberetur, is profecto impudentissimæ vanitatis seipsum argueret, nulloque fortasse id ageretur suo fructu & emolumento, at quis alienũ pectus iudicare Christianus audeat? Obiicietur fortasse, quibusdam aliis in ciuitatibus, vbi die Veneris hebdomadæ sanctioris eiusmodi publice spectantur spectacula, plurimos abusus reperiri, oculos in Pœnitentes de fenestris impudicos coniici, gestus & motus haustam luminibus Venerem miris modis prodere, eaque præstare, quæ dici vel scribi non possunt. At quis mortalium vidit vnquam frumentum sine palea, sine spinis rosas, spicas sine aristis? Semperné erit horum Catonum & Zoilorum auribus ingerendum, legis mensuram esse virtutem, non vitium, quod medium tenere nescit.

Sit inter hos sanguinolentos Disciplinantes nonnullos reperire, qui suo quasi vino ebrij in orbem agi videantur, at quam multos mihi dabis, qui lacrymantibus oculis misericordiam Dei inclamant, ac demisso capite, defluente sub veste sanguine animo de admissis culpis contrito, ac præ dolore rugiente. in hos potius sunt coniiciendi oculi, ex horum potius conspectu fructus hauriendus, quàm ex imperita quadam vulgi fece penitus indigna ad quam quis vel oculos aduertat.
Exod. 16. Qui contra Moysis voluntatem ex diffidentia colligebant superfluum manna, quid iis notæ inurebant, qui ex eiusdem
2. Reg. 1.13. mandato iustam & præceptam mensuram complebant? Absalon instituit solenne epulum, eo fine vt in illo fratrem suum Ammon trucidaret, qui insontes epulo illi interfuêre, quis
Leuit. 27. homicidij reos arguat? Afflictatio animæ Cerimonia fuit
Isa. 58. præcepta Hebræis, hac Hypocritæ, in quos acerbe inuehitur Isaias, ad nequitias suas velandas abutebantur; num illã ideo iniquam & damnabilẽ reddebant? Propius igitur intueamur veri fucatiq; notas, nec nos stulta adeo cẽsura populari abripi patiamur, quæ euanescit, vt solis radij ventos dissipare solent.

Cum

Cum hostis quispiam Aduersario, in certamine ipso obiicereret, quod fœminarum more, morderet, nequaquam, inquit, sed Leonis instar morsus figo, significans, quid iis respondendum sit, qui nos proclamare solent in castigando corpore nefarios illos Flagellantes imitari. Minimè vero, inquiet Pœnitens noster, sed eos sequimur Amicos animæ ac salutis suæ, osores vero corporis Carthusianos, Eremitas, Capuccinos, numerumque innumerum sanctorum Religiosorum. *Plut. in Alcib.*

CAPVT XVIII.

De sacco & cilicio.

VT in particulari magis de his agamus, saccus noster non est materiæ, aut figuræ adeò nouæ, quin ea pridem vsitata fuerit antiquis Dei famulis apud vniuersas propemodum gentes, quæ vel pœnitentiæ efficaciam, vel eius apud Deum pretium vnquam in admiratione habuêre. Vnde etiam huius generis vestimentum *sacci* nomen in omni ferè lingua obtinuit. Verum quidem est, eos, qui id paulò asperius, acerbiusque suo corpori adhibere volebant, curasse ipsum ex hispidis, durisque animalium, vt puta, camelorum, caprarum, equorum, aut his similium pilis contexi, & tunc cilicium nuncupabatur, nudæ etiam carni admouebatur, exemplo castissimæ illius Iudithæ, quæ cilicium assiduè super suos delicatos lumbos gestabat: ne fortè putarem*, *Iud. 4. & 8.* hæc præclara austeritatis insignia, solos robustos viros decere, non verò etiam perinde iuniores, teneriorésue virgunculas: quandoquidem vterque sexus, si pauxillum absit verecundiæ, tum audacia, tum passionum vehementia, æquè in peccata, & flagitia est propensus.

Atq; hoc pacto accepimus pientissimum Regem nostrum S. Ludouicum, cilicium identidem gestare solitum sub splendidis, ac regiis indumentis, exemplo scilicet permotum infinitorum propè sanctitate illustrium hominum, qui iam inde à Ioanne Baptista magni fecerunt hanc carnis castigandæ rationem, quò & crucis fructus tanto melius degustarent, & rerum

labentium suauitatem hac quasi pœnitentiæ acerbitate temperarent.

Et certè hoc genus saccei indumenti adeò commune, & familiare fuit Iudæis in præcipuis pœnitentię, ac propriæ afflictationis exercitiis, siue vellent diuinam iram suis, liberorumque suorum ceruicibus imminentem auertere; seu mallent communem aliquem luctum toti orbi patefacere, vt sacra scriptura eius passim faciat mentionem, non solùm vbi de plebeiis, ac infimæ sortis hominibus est sermo, sed etiam quando

2.Reg.3. de proceribus populi, aut regibus loquitur. Dauid enim, Ioab, & omnis populus sacco se induerunt propter homicidium in

3.Reg.21. Abner perpetratum. Achab etiam ad vocem Eliæ, tanquam tubæ sonitum, regiis vestimentis exuitur, corpus obtegit cili-

4.Reg.19. cio, ieiunat, dormit sacco indutus. Sanctissimus verò ille Rex Ezechias, blasphemis infandi Rapsácæ perculsus vocibus, sacco vnà cum suis familiaribus cooperitur, sicut & seniores populi, sacerdotesque omnes: ne mirum etiamnum nobis accidat, si fortè Clerici nostri sacco itidem induantur; quandoquidem veteres illi sacerdotes, qui vtique multò quàm nos ceremoniarum suarum erant tenaciores, id regis sui exemplo certatim factitabant. Et verò cùm isti re ipsa publicis peccatis forsan æquè sint affines, neque minimam subinde etiam eorum causam præbuerint, ratio sanè exigit, vt quisque pro se, quoad

4.Reg.6. potest, satisfaciat. Cùm Ioram Rex Israël per murum transiens intelligeret iurgium duarum fœminarum, quæ rabida fame adactæ proprios deuorarant liberos, *scidit vestimenta sua, viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.*

Constat præterea hæc tam tristis, & squalida sacci gestandi ratio, cùm simul puluere, & cineribus capita conspergebantur; quomodo factum fuisse legimus temporibus Esdræ, pro-

2.Esd.9. tracto etiam in Vesperam ieiunio. Fidelissimus quoque Mar-

4.Esd.16. dochæus, audito aduersus populum suum crudeli regis edi-

Esth.4. cto, indutus est sacco, spargens cinerem capiti: memor vtique

Iob.16. alterius cuiusdam, qui saccum consuerat super cutem suam, & operuerat cinere carnem suam: neq; id irrito sanè labore. Nam & populi Israëlitici liberatio, & infelix crudelis & superbi Amani supplicium statim sunt subsecuta.

Dauid

Dauid verò postea quàm Deus diuturnum eius planctum in gaudium conuertisset, concidissetq; saccum eius, totus circundatur lætitia: cùm è contra Baruch Propheta clamet, exsuisse se stolam pacis, & induisse saccum obsecrationis, innuens haud dubiè, eum, qui hunc habitum assumeret, ad preces ad Deum feruenter fundendas, non secus quàm militem lorica indutum, ad bellum armari: quemadmodum fecit pius ille Daniel, qui cœleste auxilium in ieiunio, in cinere, & sacco implorabat. Ad quod postea sui temporis sacerdotes inuitabat Ioël hisce verbis: *accingite vos sacerdotes, ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, &c.* Neque enim verebatur, ne eos aut irregulares, aut infames redderet exhortando ad huiuscemodi publicam pœnitentiam: non magis, quàm nos, & pœnitentes nostri metuimus, ne in easdem odij, aut infamiæ notas incidamus, qui partim eam ipsi subimus: partim, eam aliis subeundam suademus, cùm pro propriis, tum pro expiandis peccatis totius regni; cui nemo nescit eiusmodi, imò multò adhuc asperiore pœnitentia opus esse. Et certè nisi diuina bonitas ad seipsam potius, quàm ad vlla à nobis profecta bona opera respiceret, nullum equidem alium tot scelerum finem deberemus exspectare, quàm rerum omnium interitum, ac ruinam.

Psal. 29. *Bar. 4.* *Dan. 2.* *Ioel. 1.*

Quod autem acceptus sit Christo Domino habitus iste, vel inde colligitur: quòd eius *tunica inconsutilis desuper contexta per totum*, quam ne ipsi quidem carnifices diuiserunt, illius fuerit, iuxta nonnullorum opinionem, quoddam veluti prototypum. Vt vt sit, certè id negari nulla ratione potest de veste illa alba, qua indutus ab Herode, irrisus, & pro stulto habitus est Saluator noster. Nos autem nequaquam aspernamur huiuscemodi insignia, quippe qui in nulla re alia hîc, quàm in crucis stultitia spem defixam habeamus: cuius proinde amore, & à mundo contemni nos, & eo, quo Magister noster loco haberi, minimè ægrè ferimus. Atq; hoc fine traduntur Monachi suos habitus, & cappucia iam olim assumpsisse, vti se Christo cruci suffixo vel hac ratione conformarent; quippe, quem passim à mollibus, & voluptariis hominibus despici, ac subsannari viderent.

Ioan. 19. *Luc. 23.* *1. Cor. 1.*

derent. Et, quod magis mirandum est, perdurabit habitus iste ad finem vsque mundi. Ait enim Christus Dominus: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.*

Apoc. 11.

Cuicunque vsui eorum, qui hactenus à me sunt commemorati, destinetur iste habitus, & quæcunque demum ipsi adscribatur significatio, non alia certè, quàm sancta, & in primis vtilis eius origo fuisse censenda est. Quin imò fas est credere, omnes promissiores religiosorum hominum tunicas, fuisse ad imitationem huius pœnitentialis sacci factas. Siquidem eorum status, ac officij est proprium tam gemitu & lacrymis, quàm oratione, & ieiuniis vitia debellare, carnem edomare, & honestis pietatis, ac virtutum omnium actionibus incumbere, siue ij, qui se sic affligant, præsint aliis, siue subsint, seu etiam Virgines sint, ac religiosæ, qui in aliquo eiusmodi monastico instituto reliquum vitę cursum terminare decreuerint: ad eandem enim metam omnes, etsi non eâdem via aut ratione tendimus.

Aug. epist. 109. Et Possid. in Vita S. August. Aug. in Reg.

Dionys. Areop. Eccles. hie. c. 6.

Certum verò est, complures eorum & vitia debellandi, & nonnulla etiam cœlestis, in suis corporibus, gratiæ redundantis signa patefaciendi cupiditate accensos, ciliciis vti consueuisse: quales sunt Carthusiani, Cappucini, Minoritæ, &, quæ sanctæ Claræ sequuntur institutum; qui, in hoc egregiè insistunt vestigiis priscorum anachoretarum, per quos iste cilicij vsus, ab insigni antiquiorum pœnitentium consuetudine est deriuatus. Dauid enim in omnibus suis aduersitatibus ad saccum confugiebat, quantumuis, vt ipse testatur, rideretur propterea, quemadmodum & pœnitentes nostri sub initium conuersionis suæ, etsi nec desint forsitan, à quibus etiamnum derideantur. Isaias propterea minatur filiabus Sion, ne fortè pro fascia pectorali cilicium compellantur assumere. quas ad idem vltrò induendum inuitat Hieremias, vti & seniores earum, quibus nullus fermè alius fuit habitus toto eo tempore, quo in Babylonica captiuitate detenti, affligebantur. Quod ipsum egregiè sunt imitati Machabæi, qui vnà cum vxoribus suis, & filiabus non semel ciliciis cœlesti iræ placandæ fuerunt accincti,

Psal. 34. It. 68.

Isai. 3.

Thren. 2.

1. Mach. 2. 2. Mach. 3.

ad eum ferè modum, quo Magister noster Tyrios olim, ac Sidonios acturos fuisse pœnitentiam affirmabat, si quidem ad illam agendam, ac tam splendidis miraculis fuissent diuinitus prouocati. *Matth. 11. Luc. 10.*

Et verò tot publici saccis coopertorum hominum cœtus aliud mihi esse non videntur, quàm totidem honestissimæ satisfactiones, quas sordidati, & afflicti mœrore Rei, animo verè Catholico, in conscientiis suis, tanquam quodam tribunali, condemnati, Deo & Ecclesiæ exhibeant, non secus, quàm in foro externo interdum facere solent publici peccatores, qui nudi ad indusium vsque manu facem tenent, rubore suffusi, neque absque insigni ignominiæ nota: cùm nos è contra, cum *Iustin. in Tryph. & apolog. 2.* quodam de primipilis nostris asseramus, tanto maiorem inde gloriam nobis accrescere, restituique pro malo nomine, quod peccando inter improbos obtinueramus; honorem illum, qui virtutem quidem omnem consequitur, at multo magis, & singulari quodam modo ipsam pœnitentiam.

CAPVT XIX.

De cingulo, & flagello, eiusq; vsu.

CVM totus pœnitentis vestitus veluti cæremonia sit, longeq; alium finem habeat, quàm is, qui aut à natura, aut politia in communi hominum vsu esse consueuit; sciendum est, quod quemadmodum saccus, ita & reliquæ huius vestitus partes suas significationes, & notas peculiares sortiantur. Ac quicquid nostri noui Reformatores tentent caput nobis illa sua ἐθελοθρησκείᾳ obtundere, quæ est cultus Deo voluntariè exhibitus, quamque propterea falsò ei ingratam esse ogganniunt: nos tamen neglectis hisce scopulis, remittemus istos ad respõsiones ad hæc aliâs datas, & nostri duntaxat instituti hîc reddemus rationem, vt creditoribus faciamus satis, nisi fortè aut difficiles, aut improbi mores eos penitus nobis implacabiles reddiderint.

Elegantes Zonas, præsertim verò si aureæ fuerint, regum

in primis, ac nobilium feminarum proprias esse, testantur sacræ literæ. Hinc vbi de peccatoribus, quos Iustitiæ suæ vindicem dexteram sentire vult Deus, est sermo, quantumuis ij potentes sint, aut diuites, *baltheum regum dissoluit*, inquit Iob, *& præcingit fune renes eorum*. Quod ipsum filiabus Hierusalem euenturum, minatur Isaias: *Et erit pro zona funiculus*. Id ipsum etiam est impiorum insigne, qui *peccatorum suorum*, vt ait sapiens, *funibus constringuntur*. Et quod, quæso, designabant aliud funiculi illi, quos in fimbriis per quatuor angulos pallij Hebræis, vt facerent, præcepit Moyses? Et verò etiam Euangelici præcones iubentur accingi lumbis suis: ipsique adeò magni duo Prophetæ Elias, & Ioannes referuntur in sacra Scriptura vili, & consimili prorsus constricti zona, quæ non tam hieroglyphicum quoddam frugalitatis, paupertatisúe fuisse videtur, quam continentiæ, ac castitatis; quandoquidem in lumbis præcipua est sedes luxuriæ. Ad quod sapienter quidam de Doctoribus nostris retulerunt esum agni Paschalis, qui fiebat renibus accinctis: quò allusisse videtur S. Petrus; *succincti*, ait, *lumbos mentis vestræ, sobrij, &c.* Quamuis hoc ipsum alius referat ad virtutem, quæ hypocrisi, aut leuitati opponitur, dum sic ferè ait: *stabiles estote, accincti lumbos vestros cingulo veritatis*; quasi ad illud respiceret, quod olim scriptum fuerat de Messia; *& erit Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*. Quæ quidem verba non magis sunt homini Christiano spernenda, aut contemnenda, quàm quæ vis aliæ res, quæ ad sanctũ quid, & quod oculis cerni non potest, significãdum desumuntur. Neq; sanè insigni caret flagitio, quod nostri noui legislatores scilicet, tot egregias cærimonias, tanquam res ad lubitum excogitatas, repudiant, cùm tam splendida de illis nobis suppeditent à Spiritu sancto concessa testimonia.

Iob.12. *Isai.3.* *Prou.5.* *Aug. in Psal.17.* *Deut.22.* *Luc.12.* *Matth.3.* *Nazianz. in S. Pascha.* *1.Pet.1.* *Isai.11.*

Porrò quis nesciat, chordas has nobis itidem funes illos repræsentare, quibus constat, Christum Dominum sub initium Passionis à diris carnificibus fuisse ligatum? quorum vtique notas, & insignia ferre peroptamus, vtpote captiui in eius amore, circumferentes etiam in nobis eius quædam symbola, ac trophæa: adhærentes penitus eiusdem voluntati, atq; adeò forti-

fortiter illigati, vt, teste Apostolo, nil nos possit ab ea (charitate Christi) separare, quantumuis vniuersus in nos consurgat mundus. *Fortis enim, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Spe etiam freti, fore, vt diffracto quandoque huius corporis ergastulo, læti canamus; *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* *Rom.8.* *Cant.8.* *Psal.115.*

Quod verò attinet ad flagellum in zona gestari solitum, (præterquam quod nobis refricat memoriam earum scuticarum, flagellorumúe, quibus Christus Dominus dilaceratus fuit) non est id genus afflictationis nouum, aut nuper à nobis inuentum. Siquidem prisci illi Patres carnis suæ hostes acerrimi, iam olim flagello, siue eius loco virgis, aut asperrimis scuticis aduersum seipsos strenuè vtebantur: imò ipse S. Paulus, vt alibi diximus. Scribit etiam Tonuillius, Regem nostrum pientissimum Ludouicum quouis die Veneris secretò se curasse cædi per suum Eleemosynarium: quod, vt minimum semel, ordinariè quauis hebdomade factitatur in religiosorum hominum familiis, quæ sunt reformatæ. Etenim eiuscemodi pœnæ non sine acerbiore quodam sensu doloris infligi solitæ, fastum deprimunt, sensualitatem retundunt, hominemque sui officij reddunt memorem; quemadmodum & pueri virga Magistri in officio continentur & disciplina, adiguntúrq; ad prælectiones suas alacrius addiscendas. Ipsi etiam scelerati homines, illis ipsis, quibus publicè multantur, verberibus, non solùm pro præteritis satisfaciunt malefactis, sed insuper refrenantur in posterum, ne in eadem sese iterum præcipitent.

Diximus etiam hoc instrumentum *Disciplinam* nuncupari: quia nil æquè appetitus, & efferatas nostras passiones continet in officio, quàm ictus isti, ac verbera, si præsertim crebrò, ac cumulatè repetantur. Quamuis enim plerumq; verum sit, & ab omnibus fermè receptum vulgò, quod dici solet;

Oderunt peccare mali formidine pœnæ, *Hor Ep.1.*
Oderunt peccare boni virtutis amore;

horúmque fortè, quàm illorum minor passim existat numerus; tamen, omni probè subducta ratione, comperiemus, opus esse subinde ad nostri ipsorum excitationem, harum, vel simi-

lium virgarum ictibus, qui aut à nobis ipsis, aut ab aliis, vel Deo etiam dorso nostro infligātur. Alias enim quamprimùm ad solitas ineptias sine modo, ac ratione rediremus, vnde excusso omni timore, solutis, vt aiunt, habenis, facilè iterum in aliquod præcipitium prorueremus. Quod ipsum in se probè, vt complures volunt, experiebatur olim Dauid, cùm inquiebat; *Iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas; & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*

Psal. 72.

Et sanè, qui eiuscemodi dānant exercitia, ignorant, quantopere arrideant ea veris amatoribus Crucis; neq; intelligunt isti, spiritum, simulatque caro secum adeò seuerè agi, itaque velut pungi se aduertit, illicò in compunctionem, lacrymas, gemitus, suspiria, denique præteritorum peccatorum detestationem totā sese effundere. Sed nimirum delicatuli homines, qui vel ad pulicis morsum, tanquam ad gladij ictum, expauescunt, ab iis sibi diligenter cauent, ne dum, vt ad illa prouocent alios: quos ego potius mittendos censeam ad adolescentes illos, ac iuuenes, qui aut in Capuccinorum, aut Carthusianorum, Minoritarum, Iesuitarum, aut aliorum religiosorum castris merent: imò, ad ipsos filios, filiasúe familiæ, ad matronas etiam, aut puellas nobiles, aut aliâs honesto loco natas, quæ hodierno die per totum orbem Christianum, in propriis conclauibus, aut cubiculis hoc austeritatis genus in vsu habent potius, quàm aliquod voluntarium ieiunium; quód eo minus obnoxium est aliorum cauillis, quò paucioribus notum, & remotius ab omni vana gloria, & irrisione, quam mundani homines eorum piis, & sanctis actionibus solent impingere, qui sese ipsorum peruersis moribus minimè volunt conformare.

At verò secreta hæc nostri ipsorum castigatio, tria in mentem nobis potissimum reuocat. Primum est dolor, & cruciatus, quos tot peccatis post hanc vitam commeruimus, nisi Deus nostri misertus, immanes illas, ac horribiles pœnas, his exiguis, attamen voluntariè, & liberè à nobis susceptis, benignè permutet. Atq; hoc ipsum, meo iudicio, est, quod magnus ille Corrector noster, Iudæis templum mercimoniis, ac simo-

Matt. 21.

nia

nia profanātibus, volebat ostendere, cum eos facto ex funiculis flagello, cæderet, expelleretúe, nos vtique insigni tum exemplo commonens, eodem quoque instrumento vtendum esse ad expellendas ex templo hoc, quod est corpus nostrum ipsius numini consecratum, tot brutas passiones, ac desideria, quibus animæ nostræ nitor, ac venustas fœdatur, conspurcaturque. Alterum est; quod, quando Propheta exclamat, *disciplinam pacis nostræ esse super eum*, corpus scilicet crucifixi Messiæ, cuius & liuore sanati sumus, id solidè intelligi posse de virgarum, scuticarumque ictibus Pilati iussu illi inflictis; quos proinde ad viuum nobis debemus repræsentare, vt & illi, pro eo, ac par est, compatiamur. *Isa. 53.* *1. Pet. 3.* *Matth. 27.* *Rom. 8.*

Sed quid? an non æquum est, nos aliquando earum percussionum sentire acerbitatem, quas tanta cum patientia nostri causa in sua carne pertulit DEI filius? Et quomodo pro dignitate æstimabimus grauitatē eius dolorum, ruminando eos duntaxat in corde, si nihil illorū, in corpore, aut membris nostris experiamur? Recusabimusne penitus portare vllo pacto eius insignia, & stigmata cū magno Apostolo? Siccine molles, ac delicati semper milites sumus futuri, absq; congressu, aut certamine, nullo etiam, nisi fortè depicto hoste conspecto? Quid nostra ieiunia cum eius inedia collata sunt aliud, quàm meræ cupediæ, aut deliciæ? Quid preces nostræ, si cum illius precibus componantur? Et cur igitur hoc genus pugnæ non ineamus coram aliqua eius imagine, nobis ob oculos ponentes crucem eius, virgas, spinas, ac clauos? Quid illi simile elucet in nostris mollibus, & tam diuersis vestimentis? Quid in nostris torquibus, monilibus, capillorum ornamentis, odoramentis lectorum, & vt verbo dicam, quid in omnibus nostris actionibus, & moribus reperire est, aliud, quàm perpetuum illicium ad peccandum; quàm quoddam veluti assiduum fomentum, ad alendam in nostris miserabilibus membris omnis generis insolentiam, ac superbiam? Et adhuc nos crucifixi filiorum, adhuc nos discipulorum crucis nomine iactabimus; prætendentes ius æternæ hæreditatis? Horreo sanè duritiem, obstupeo superbiam, & nostram summam, & extremam deploro temeritatem. *Gal. 6.*

De flagellorum in macerando corpore vsu perutili, deque Rosario ac Cruce.

CAPVT XXX.

RECTE quidem, inquis, at vestri illi Pœnitentes hoc flagellorum vsu, quem tantopere deprædicas, non admodum abutuntur, contenti videlicet appensam cingulo disciplinam circumferre. Sit ita, vt vis, at hæc ipsa sola gestatio, egregium quoddam monimentum est Passionis Christi, videturque mihi solam eius instrumenti tractationem efficere vt minimum posse, vt vulnerum ac vibicum eius recordemur, à quo de admissis criminibus veniam omnes postulamus. Neque tamen verum est, vel in aliis Congregationibus (quod superius pluribus ostendi) rarum aut nullum esse flagellorum vsum in castigando corpore; vel in hac ipsa, de qua nobis sermo est, nullos esse Pœnitentes, qui disciplinis vtantur in secreto loco, possem enim non paruũ magnorum virorum numerum recensere, quibus huius artis principia optime perspecta sunt ipsa experientia magistra, quique aliis egregij sane Doctores esse possent, si qui essent, qui cuperent eorum sequi vestigia. Et vero etiamsi quis omnino in publicum aliquando prodeat, non ideo est excõmunicatus, quando tempus, occasio, & caussæ id permittunt eorum iudicio quorum est eas examinare iustæné sint an secus. Quod si quisquam est qui interim dum expectat occasionẽ, velit in hanc arenam descendere, facere, inquam, disciplinam loco abdito, ianuis clausis, in tenebris & incognitus (tamen sine omni alia obligatione ex pura deuotione) aggreget ille se & inscribi curet in Sodalitatem S. Hieronymi cæruleo ac cælesti colore, vt diximus supra, vtentem institutam Parisiis hac Quadragesima anni M. D. LXXXIV. In hac certe reperiet egregium numerum honestissimorum hominum qui in seipsos flagris animaduertunt adeo liberaliter eoque feruore pietatis singulis diebus Veneris totius anni, maxime vero primis vniuscuiusque mensis, vt veluti manu palpaturus

ſit pulcherrimum huius exercitij fructum, & confeſſurus, quòd multi ex aula viri primarij faſsi ſunt cum admiratione, exiſtimare ſe, nullum eſſe poſſe pectus adeo barbarum, quod eiuſmodi ſpectaculo ad Contritionem & animi pœnitudinem non moueatur.

Et ſanè, vt quod res eſt, apertius dicam, videmur non paucioribus malis humoribus abundare, qui virgis indigeant & flagris, quam filioli noſtri, quibus caſtigandis, vt ne virgæ & flagris parcamus Salomon nos admonet (res æquè conueniens dorſo ſtulti, ac capiſtrum Aſinino capiti) vt tandem bene morati & docti euadant. Quamquam enim iam liberi ſimus & extra Pædagogi iura ac poteſtatem, ſub qua minor ætas gemit, & ſeſe plorando vindicat; peccata tamen noſtra ſunt eò flagris digniora, quo ſunt commiſſa ex maiore malitia, oculatiore iudicio & magis contra rationem, quo etiam fundãtur in delectationibus magis brutis. Quoniam vero erubeſcimus & confundimur, ſi alienâ operâ, quemadmodum Diuus Ludouicus aliiſque Sancti fecere, caſtigemur (ex quo fit, vt permittente id iuſto Deo non pauci in infames vſque Carnificum manus aliquando deueniant) ſaltem nos ipſos corrigamus & caſtigemus ipſi; admittat illa Caro verbera quæ nobis incitamento fuit vt flagitia admitteremus, redimamus hic facili ac leui dolore eorum cruciatuum acerbitatem, quam nobis crudeles illi tortores in altera vita reſeruant. Et ſine dubio, cum S. Scriptura Cruces & afflictiones nobis à Deo immiſſas nunc *virgas* appellet, nunc *flagella* quaſi parentis erga filios, eas lubenti animo amplecti debemus, quin imo ipſi vltro flagellum in manum accipere vt illo ſenſualitatem noſtram nonnihil comprimamus, atque illam euadamus horridam pœnæ ad culpam commenſurationem quam expoſcere ſolet à nobis Deus, quando ipſummet vindicem manum apponere permittimus. Saltem, quandoquidem nos ipſi ſeruos peccati fecimus, nec dignius quicquam eſſe poteſt ſeruo ac mancipio quam flagella; damnatis ad Triremes quam nerui boum, annon deceret nos mature conſulere rebus noſtris, tantumque à ceruicibus noſtris malum auertere, ſuauiori & mitiori modo

Tertull. de cultu fam. Cypr. ad Martyr. Prou. 13. v. 24. Aug. Confeſſ. 1. c. 9. 11. de Ciuit. 23.

Rom. 6. v. 6.

Iob. 9. Pſal. 17. Hier. 5. Hebr. 12.

cum

cum diuina iustitia componendo? Adde quod hic vltrò susceptus dolor vtilior est & efficacior, est enim instar lanceolæ acutissimæ, qua animæ nostræ venæ apertæ, emittunt copiosum non sanguinem, sed salutaris compunctionis imbrem, dulcesque lacrimas ad lauandum conscientiæ nostræ lectum, ac refrigerandos vehementes æstus passionum; maxime cum non sit hæc actio secretissima, vt reliquæ ferè nostræ, exposita inanis gloriæ ventis, amicorum dico, domesticorum & similium oculis & linguis, qui vbi quid factum à nobis laude dignum intellexerunt, mox superfluis suis laudibus & adulationibus, bona nos parte spiritualis fructus aliquando spoliant.

Præterea siue ieiunemus, siue orationi vacemus, siue quid alterius pij exercitij exequamur, varia intercedere solent tum Spiritus tum etiam corporis solatiola & leuamina, quę eorum laborem ac molestiam leuiorem facilioremque efficiant; sed in hoc nostro conflictu nihil simile occurrit, pugnatur sine vlla respiratione, vno pene anhelitu aculeato illo & probe vrenti flagello (Cilicium conficit quidem etiam ipsum Corpus, at non ita acriter mordet & vrit) vsque ad finem Psalmi vel quadrantis horæ, quo hæc pugna durat. Tandem præter has omnes vtilitates ac diuitias, vsus ipse facilis efficitur ac pene dulcis, vtilissimus certe adolescentibus, omnibusque qui sexagesimum non excesserunt (quorum frigescens iam sensim sanguis, ipsas per se passiones languidas reddit) quandocunque hoc genus velitationis in dorsi planitie exercetur. Certe si ad omnem nostrum grauiorem lapsum, mox nos ipsos ad hanc salutarem Virgidemiam tanquam fugitiuos seruos damnaremus, nullum mihi dubium est, quin delicata Caro nostra ter & amplius rem consideraret ac deliberaret, antequam emeret tam tædiosum & asperum *pœnitere*. Sic fecisse legimus magnanimum quendam suarum cupiditatum oppressorem, is cum aliquando cum recalcitrante ac petulante Carne digladiaretur, vbi eam vidit sese dedere & suppliciter veniam postulare, belle, inquit, Asine faxo deinceps de fœno tuo potius quam de petulantiis cogites.

Docent

Docent huius mundi Sapientes in suis Academiis vitam hanc breuem & mortalem tribus omnino modis transigi posse, videlicet aut totam in delitiis, & voluptatibus, aut totam in mœstitudine & laboribus, aut denique vtriusque participatione mixtam. Ego ex his tribus generibus solam hanc vltimam mortalibus tritam & tutam existimo tum propter incredibilem obiectorum varietatem & inconstantiam, tum maximé, quod omnis vita natura ita viuitur vt ferme alternis virtus vitiumq; nostris actionibus dominentur: quemadmodum igitur ex recte factis magnam animi pacem & lætitiam cordis consequimur ita de prauis actionibus (quæ bonas ferè numero superare solent) an non conuenit vt doleamus & contristemur, spiritum quidem mœstitia & pœnitudine affligendo, Carnem autem meritissima pœna conficiendo? Ac sicuti ex vanis ipsius gaudiis consecuta est tristitia cordi nostro, sic ij qui pro vetitis voluptatibus admissis dolores & flagella viriliter rependent, eam experientur Conscientiæ pacem & Spiritus sancti consolationes, quæ sine comparatione cruciatus præteritos excedant; atque hac ratione vitam ducemus Virtuti conuenientem, aut saltem non adeo subditam turpissimis lapsibus, quibus ij subiecti sunt, qui virtutis viam suauiter amaram penitus reliquerunt. Plato in Philebo.

Denique hæc asperitas sponte suscepta nobis in memoriam reuocat, & amplius suspicere facit admirabilem martyrum Christi in fide tuenda fortitudinem & constantiam, qua sempiternam sibi gloriam pepererunt, quos quidem sequi, & si occasio dabitur, imitari nos vehementer cupere, his exiguis licet præludiis & asperitatibus declaramus, nosque interim exercemus ad hunc finem vt cum opus fuerit aliquando, animosiores etiam ad manus venire & congredi audeamus; fieri enim adhuc potest, vt aliquando in Turcarum manus incidamus, atque ab iis in triremibus crudelissimè tractemur, propter fidem captiui; vel certe vt domesticorum Hæreticorum rabiem perferre cogamur, ac dum rem Christianam imperterriti defendimus acerbissima quæq; pati debeamus: quemadmodum in primis & secundis tumultibus accidisse scimus

& etiamnum recordamur quanto viri & fœminæ numero virgis crudeliter cæsi fuerint, vt Sectariis cogerentur sese adiungere. Vno verbo, sicuti nullum est malum quod ceruicibus nostris non impendeat, nisi clemens Deus illud alio pro sua benignitate auertat; ita ratio à nobis postulare videtur, vt omni virtutum pręsidio ita comparati simus in omnem euentum, vt nullus casus, nulla tormenta, nė ipsa quidem acerbissima mors nos à recto possit vnquam deflectere.

De candido Rosario ad zonam appenso, nihil est quod dicamus, nisi indicium quoddam esse singularis illius honoris ac reuerentiæ, qua prosequitur hæc Congregatio Virginem Deiparā, Patronam ac Ducem suam, cui ascribit primam sui cœtus Originem & institutionem; quodque præterea instrumentum quoddam sit reducendi in memoriam ac meditandi mysteria Incarnationis filij Dei per ipsas decades globulorum & Angelicarum salutationum; quod quidem ita publicè gestatum hisce temporibus tot nobis peperit illusores, derisores, & hostes coniuratissimos illius generis orationis (perantiqui iam, & nostra ætatæ pulcherrimis doctissimorum hominum tractatibus & lucubrationibus expositi & illustrati) vehementer dolentes Mariam ab hominibus Archangeli imitatione piè salutari, quæ quidem ex potissimis caussis vna est quod hæc Pœnitens Nobilitas hunc excellentem vsum Rosarij stabiliat & conseruatum velit, nostris Politicis & Domicellis insigne præbens exemplum, animosque faciens vt in hac fidei suæ professione quadam non magis erubescant quam cum ferunt appensa ad cingulum tot nugas & inania oneramenta, manifesta signa cerebri cuiusdam vehementer pituitâ laborantis.

Quod ad Crucem attinet, quæ figura ouali, sacco insuta est ad latus sinistrum, è regione nimirum cordis, hæc quidem est Cæremonia ferme ordinaria & recepta omnibus propemodum consimilibus Sodalitatibus, ad confitendam videlicet coram Cœlo & Terra Crucifixi maiestatem, eiusdemque gloriæ & honori consignandas omnes pias actiones, quas nostri Pœnitentes exercent, valorem ex meritis & sanguine ipsius trahen-

trahentes, tanquam ex vero thesauro, ex quo omnia omnium debita dissoluuntur, cupientes his quas subeunt pœnis ostendere affectum ac desiderium quo flagrant pro Cruce Christi moriendi & viuendi sub illius brachiis, & illius virtute Cœli Regnum consequendi.

CAPVT XXXI.

Cur pœnitentes operta facie, & nonnunquam etiam nudis pedibus incedant.

His obiici solet; minimè decens esse per media cōpita facie obducta incedere, cum opus hoc & sua natura adeò pium sit, & æquum videatur, vt quisque id luce palam exerceat: sed vt facti nostri optima afferatur ratio, meminisse oportet, quàm fragilis sit homo, vt qui facilè efferatur inani gloria, quæ inimica est bonorum operum, antiqua item insolentiæ administra, ac denique morbus, qui, si rectè expendas, nulla alia melius depelli potest medicina, quam quæ iam olim præscripta fuit à Dei filio his verbis; *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:* Et, *tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Equidem aperta fronte procedamus oportet in iis, quæ publicè ex officio facienda sunt, vt ea sint lucernæ ardentes rerum nostrarum exploratoribus, quo glorificent Deum, ait Christus, videntes propius opera nostra bona, & veluti oculos coniicientes in probas vitę nostrę actiones: & in priuatis, quæque adeo sponte, ac liberè à nobis suscipiuntur exercitationibus quanto occultius nos, tantò quoque ad spiritualem nostrum profectum habemus securius. Adde compluribus animum ad hoc pœnitentiæ genus defuturum, si eos notos esse oporteret in populo, à quo in derisum ferè, ac cōtemptum trahi solet quicquid ipsi quotidianum, aut paulò vsitatius esse videtur; præterquam quod minimè expediat

Aug. confess. lib. 11. c. 38.

Matth. 6. v. 4. 6. Aug. de Ciuit. lib. 5. c. 13. 14.

Matth. 5. v. 16. Marc. 4. v. 21. Luc. 8. v. 16. 1. Pet. 2. v. 17.

magnos Dominos, & Prælatos ita paſsim notos eſſe inter vulgares homines, ne fortè tempus aliâs recolendis crucifixi doloribus debitum, reuerentiis exhibendis, aut ictibus etiam aduerſus inſurgentes faſtus ac ſuperbiæ impetus ſtringendis conſumant.

Cui adhuc adiungenda ſunt pudor, honeſtas, & adoleſcentium verecundia, & cum conſtet fœminas quoque pluribus in locis, etiam nonnunquam animoſius quam ipſi viri ſoleant, ſeſe ad hoc pœnitentiæ ſtudium mutuò excitare, iure obtinuit, vt pro vtroque ſexu facie tecta incederetur: neque enim ſimile quid iſtæ vnquam attentare auderent, ſi ſe interea conſpiciendas & palam agnoſcendas præbere deberent. Hanc ſanctam, & in primis ſecuram rationem ſequutæ ſunt Toloſæ, vrbe in fide æquè erga Deum, ac Regem ipſum maximè conſtanti honeſtiores fœminæ tempore proximè elapſi magni Iubilæi (cuius vt ſeſe ritè, & cum fructu participes facerent incredibili pietatis ſtudio flagrabant incolæ) cum enim re prius cum ſupremo Magiſtratu, & Paſtore communicata, tribus continuo ſequentibus diebus, ad quinquaginta ſupra ducentas diuerſis vicibus, in æde quadam ſacra conueniſſent, ibidemque ſumma religione cœleſti menſæ accubuiſſent, quin & à media nocte inuſitatis in ſe pœnis per duas circiter horas ſecretò animaduertiſſent, tandem proceſſerunt binæ & binæ, totæ craſsiori tela coopertæ nudis pedibus, per medium lutum, ac frigus, quod iam tum valdè intenſum erat, facem manibus, & magnam crucifixi imaginem, quæ ab earum nonnullis *capite* geſtabatur, ferentes ad viſitandas quatuor deſignatas Eccleſias, quæ longo interuallo diſtabant, vt proinde quinque plus minus, ſexue horarum ſpatium inſumendum fuerit, tale hoc admirabili, & nunquam aliâs audito pietatis exemplo per vniuerſam ciuitatem, & circumiecta loca claſsicum, vt ita dicam, dederunt, vt ad tertiam ſupplicationem amplius quàm centum millia ſpectatorum excierint, qui omnes admiratione obſtupefacti, itaque hoc inſolito facto commoti animo

Anno M. D. LXXII.

arde

ardebant, vt quisque alterum deinde pœnitentiis, aliisq; occultæ pietatis studiis certatim superare contenderent. Cuius rei cùm se testes etiam reddere voluissent fidei nostrę aduersarij & nominatim qui sunt in vicinis circa ciuitatibus, in caussa fuerunt, vt duo exercitus, qui non longius quam tribus, aut quatuor leucis hinc inde oberrando inflammatione, vastatione, depopulatione, aliisque iniuriis infesta reddebant omnia, dissoluti fuerint, neq; vnquam postea ab aliquot annis denuò coaluerint. Et sanè is ipse circiter mensis, & annus erat, quo pij isti Tolosani tres erexerunt pœnitêtium congregationes, quæ sunt nunc scholæ omnis & charitatis, & pietatis, religionisúe, prout à me iam superius est dictum. O nobilem, raram, & in primis laude prosequendam vultus obductionem. Vtinam nostræ molles, delicatulæq; domicellæ, ac vrbanæ mulierculæ hoc aliquando animo forent, vt optarent sese conspici per vrbium compita indutas crassis è cannabi confectis saccis, facie rudi, & aspero obtectas velamine, pedibus nudis, cruce, aut face manu instructa, perinde ac solent aulas, Ecclesias, palatia, aliaq; publica loca concursare superba planè, & pudenda indumentorum ratione (non hîc mihi sermo est ad matronas nobilitate æquè ac virtute præstantes, quæ honoris sui ac grauitatis nequaquam sunt immemores, sed ad istas quæ has ipsas sequi, aut iis similes esse detrectant) dum curiosis, & parum cautis hominibus dissolutos mores, & luxus ostentant detestâdos, quos rectè simplicitate sua, ac modestia improbarunt pauperculæ illæ mulieres, & rusticanæ puellæ, quæ superioribus mensibus partim Parisios, partim alio pietatis caussa, vt alibi à me scriptum est, ingenti numero confluxerunt albis indutæ vestibus, crucem manu gestantes, Deique misericordiam implorantes pro Galliæ peccatis, quę adeò accreuerunt, immò ad summum vsque peruenerunt, vt nisi bonitas, & extraordinaria Dei clementia sit, quę nos ad rigidiorem aliquã, seuerioremq; pœnitentiam reseruet, nihil aliud quam extremum rerum omnium interitum, ac ruinam possimus expectare, sic vt fabula fiamus per vniuersum terrarum orbem toti posteritati.

Ceterum nudis pedibus ambulare in supplicationibus, quemadmodum fecerunt piæ istæ, & sanctæ matronæ, atque etiamnum vbique factitant, qui paulò austeriorem pœnitentiam profitentur, & nominatim quos *Caeruleos* vocant, sicut & nostri *Albi*, si qui volunt, actus est hominis pœnitentis, & de
2. Reg. 15. v. 30. peccatis verè dolentis, vti de Dauide memoratur, qui filium Absalonem fugiens, tristis, mœstus, & cogitabundus quomodo cœlestem iram placaret nudis pedibus, & operto capite incedebat. Et Iosephus vbi meminit de eximia Iudæorum pietate, qui Hierosolymis prius quam sacrificarent triginta ipsis diebus raso capite, & nudis pedibus à vino abstinebant, ait, miseram illam, & infelicem Berenicen, quo crudelem Flori animum flecteret, sese ad eius tribunal hoc pœnitentiæ habitu stitisse. Et verò etiam prisci gentiles cùm beneficium aliquod, aut gratiam à suis diis peterent nudipedalia denuntiare erant soliti, quemadmodum ipsis à quodam de nostris obiicitur, etsi errarent, quod illi hac sancta cæremonia Idola colerent, nos verò huiuscemodi afflictationes suscipimus ad eius honorem, qui pro nobis redimendis, nudis & per clauos acutos perforatis pedibus cruci affixus fuit. *Hæc ex Metanœologia Augerij.*

De bello Iudaico lib. 2. c. 15.

Tertull. apol. cap. 40.

In

In spicilegio de Disciplinis, quod adieci ad calcem libelli de Cruce spirituali Coloniæ excusi, dicebam hunc locum Eunapij Sardiani in libro *de vitis Philosophorum & Sophistarum, in Ædesio*, propè extremo, nihil ad *Disciplinas* facere, μάρτυρες γοῦν ἐκαλοῦντο καὶ διάκονοί τινες, καὶ πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν, ἀνδράποδα δεδουλωκότα κακῶς, καὶ μάστιξι καταδεδαπανημένα, καὶ τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς ἐν τοῖς εἰδώλοις φέροντα: sed pertinere ad imagines & statuas Martyrum, quas Eunapius, scriptor Ethnicus, εἴδωλα appellet; in quibus cruciatuum, quos tolerauerant, ac inprimis corporis per flagella concisi notæ & vestigia apparuerint. Quæ mea sententia principio non placuit admodum reuerendo, & tam in linguis, quàm in omni scientiarum genere versatissimo Domino *Antonio Velsero*; de quo suo sensu hęc ad Marcum fratrem, amplissimum Augustanæ Reipublicæ IIVirum scripsit. *Ego locum illum de anima corpore soluta accipio. Sic enim & Homerus* εἴδωλα καμόντων *animas mortuorũ appellat: videturq́; huc posse accommodari totus dialogus Luciani, in quo Diogenes & Hercules apud inferos colloquuntur. Est in exemplari Græcolatino Basileens. anno M.D.LXIII. tomo 3. fol.43. Iam de notis, &* στίγμασι, *quas veteres animabus etiam post mortem inhærere fingebant, quasque ab Eunapio* τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς *vocari existimo, idem Lucianus satis fusè in extremo ferè* καταπλῳ. *h. e. tom.4. p.81. fusius Plato in Gorgia, nec is procul à fine, aliquantulum etiam Claudianus circa finem lib.2. in Rufinum*. Hæc D. Antonius. Ad me verò postmodum D. Marcus sequentia. *Idoli nomen pro imagine in Dione bis obseruauit Hæschelius, quod eò moneo, quia me hæc res in Eunapij loco solicitum habebat: nunc pedibus, manibusq́; in tuam sententiam concedo.*

Idem in aliis ad me literis. *Frater nuper ad me scripsit, se in Eunapij loco manus dare, & herbam porrigere, postquam Fabrum Agonist. lib.2. c.21. legerit.* Hæc adscribere volui, vt scires, etiam doctissimos, quos memoraui, viros in Eunapiani loci explicatione mecum facere.

F I N I S.

GRIPVS

GRIPVS RVDENTE.

Súmne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum: (si loco:
Aut, cùm excepi, qui non alicubi in solo abstru-
Credebam ædepol turbulentam prædam euenturam mihi:
Quia illa mihi turbulẽta tempestate euenerat:
Credo ædepol ego illic inesse auri, & argenti largiter.
Quid melius est, quàm vt hinc intro abeam, & me suspendam clanculum;
Saltem tantisper, dum abscedat hæc à me ægrimonia.

PLAVTINI HVIVS LOCI ANTAPODOSIS.

AD GEORGIVM ZEÆMANNVM, &c. Heilbronnerianum generum.

Tute hic SCELESTVS; qui GENER, SOCERO
Morem liceret reddere: (vt tuo
Hãc DISCIPLINARVM misellus MANTICAM
Vacors tulisti in publicum:

Nec

Nec alicubi in solo abdidisti illanc loco:
(PISCATOR ICTVS HINC SAPE.)
Tibi turbulenta præda nuper obtigit
De turbido & venit mari.
Nam turbidus SOCER furore instar maris,
Hoc MANTICAE obtulit tibi.
Illic inesse auri, vnà & argenti minas
Plures putasti credulus.
Quid melius ergo, quàm citato vt hinc pede
Rapias reciprocam fugam;
Introq; iens suspendiosus clanculum
Fias, trabe alta pendulus:
Paulisper abs te dum repulsa isthoc modo
Abscedat ægrimonia.

Dæmones ibidem.

O Gripe, Gripe, in ætate hominum plurimæ
Fiunt transennæ, vbi decipiuntur dolis.
Atq; ædepol in eas plerunq; esca imponitur:
Quam si quis auidus poscit escam auariter,
Decipitur in transenna auaritiâ (inscitiâ & stultitiâ) *sua.*

ADDEN-

ADDENDA.

Adde fol.102. verſ. penult. poſt, *puniantur.* Witlafius Rex Merciorum in hiſtoria Ingulphi. *Memor etiam ero Babylonis, non turris confuſionis, ſed ſanctiſſimæ Eccleſiæ Croylandenſis, quæ terra turris ad cælum aſcendens vigiliis & orationibus,* D I S C I P L I N I S *& afflictionibus, lacrymis & ſingultibus, Eleemoſynis & innumeris aliis deuotionibus, pietatiſq; operibus, pro ſeculo peccatore fortiſſimam violentiam regno cælorum ingerit die ac nocte.* Scripta autem hæc ſunt anno Redemptoris octingenteſimo trigeſimo tertio. Ex quo itidem apparet, quàm falſum ſit, quod Prædicantes clamitant; Diſciplinas ante Petri Damiani ætatem non fuiſſe vſitatas. Propagatorem huius exercitationis fuiſſe concedimus; Auctorem, negamus: prius illud teſtatur quoque Leo in Chronico Caſſinenſi lib.3. cap.21. *Dominus Petrus Damianus ad Monaſterium veniens, cum verbo pariter & exemplo ad Dei ſeruitium quoſcunque poſſet feruenter accenderet: tandem permiſſione Domini Abbatis ab omni congregatione obtinuit voluntaria oblatione, in remiſſionem peccatorum omnium, vt ſexta feria per totum annum: pane & aqua contenti diſciplinam ſinguli facta confeſſione perciperent; inſuper & triduanum ieiunium in capite Quadrageſimæ per ſingulos annos agerent.* Hæc Leo; quæ non diffiteor, etiam de capitularibus diſciplinis ab aliis infligi conſuetis, accipi poſſe.

INDEX.

Daniel

D.

E.

L.

Petrus

R.

FINIS INDICIS.

ERRATA.

In epistola dedicatoria, ** *2.b.versu 16. pro* verborum; *lege* verberum. *Pag.4. v.24. ad marg. Eccles.22. pro 21.* *18.v.4.* τύμπανα. *19.v.9.* silenis. *29.v.25.* ergo. *45.v.30. fartum. 52.v.17. facie. ibid.v.20. tum. 80.v.19. imputatitiam. 93.v.17. paulò. 119.v.4.* Bonzius. *126.v. antep. ô bone Isidore. 139.v.13.* tuum. *164.v.3. Steinvelt. 173.v.26.* τειχῶν. *175.v.9.* attacta. *183.v.14. à Basilica, adde, Petri & Pauli. 189.v.11. Taruanensis. 190.v.1. ad marg. Damian. 191.v.3. cum Abrahamo. 193.v.5. Grandimontensis. ibid.v.7. filiginea. 194.v.10.* in tormenta. *195.v.25. nobili. 201.v.14. (Clementis iudicio.) 211.v.3. diceret; S.Paulus. 213.v.7. cenologia. 220.v.1. tua. 223.v.20. vulpinae iuuant. 226.v.16. paßim. 231.v.10. similes. 244.v.6. Damiane. ibid.v.30.* honorare.

Præterea rogo te, amice lector, vt Tom.2. Defens. Bellarminianæ fol.1277. litera C. ver.31. expungas illa verba: *Baronium primum inter Magnates nomen Regis Boëmiæ admonere poterat; Concilij enim tempore Duces, non Reges Boëmiæ praerant.* Vix tomus secundus prodierat; cùm hoc mendum, quod nescio quomodo irrepsit: ab amplissimo Domino *Marco Velsero,* II Viro Augustano, animaduersum, & in spongiam incumbere iussum est.